




BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LIV
B
48
NAPOLI



TRAGICUM
THEATRUM
Actorum, & Casuum Tragicorum
LONDINI
Publice celebratorum,
Quibus
Hiberniæ Proregi, Episcopo Cantuariensi, ac tandem Regi ipsi, Aliisque vita adempta, & ad Anglicanam Metamorphosin via est aperta.







AMSTELODAMI
Apud JODOCUM JANSONIUM
Anno 1649.



ENARRATIO ACTIONUM, DECLARATIONUM, DEFENSIONUM, SENTENTIARUM; ULTIMORUM & EXECUTIONUM CONCERNENTIUM.

THOMAM WENTWORT Hiberniæ Proregem capite plexum XXII Maii Anno cIↃ IↃC XLI Complectitur.

Acta Hiberniæ Proregem concernentia complectuntur.

I. *ACcusationis Capita, quorum Prorex reus judicatus est.*

II. *Literas ad quandam magni nominis Matronam ab ipſo datas.*

III. *Concludentem Parlamenti poſtulationem.*

IV. *Vltimam ad Regem Epiſtolam ab eodem ſcriptam.*

V. *Valedictionem, qua mortem oppetiturus in turri Londinenſi Magnatibus & Proceribus valedixit.*

VI. *Extremas ad Vxorem literas.*

Com-

I.

Compendiosa criminum, quibus THOMAS WENTWORT Hiberniæ Prorex se astrinxisse Dicitur, commemoratio.

1 QUantum ad quadragies mille libros Steerlingh attinet, nondum quidem testimoniis rei certitudo stabilita est, eò quod testes requisiti necdum advenerint: Nihilominus actionem in proregem institutam nullo pacto in aliud tempus differemus, quandoquidem totus mundus procrastinationis nos accusat.

2 Straffordiæ Comes antehac Hiberniæ Prorex non sibi solum, sed & aliis Nobilibus noverat acquirere mandatum, aut concessionem, cujus vigore testes extrà judicium ipsis examinare licebat. Actionibus itaque cum lege pugnantibus utens nobilibus judicii publici assessoribus dicere solebat: Quod nulla alia res nisi jus impressum ipsis satisfacere posset. Quod tamen plus potentiæ, & virium in minimo Regis digito, quam in toto Iuris Corpore inventuri essent.

3 Quod palàm in maximo Regni consessu dicere ausus fuisset, Hibernos gentem esse bello victam, eâque de causâ ipsorum privilegiis nullam penitus efficaciam suppetere.

Idcircò Regis in arbitrio ipſos cum fortunis ſuis verſari.

4 Quod Comitem de Corck nolentem volentem litibus ſuis deſiſtere coegerit, nec ipſi de authoritate ſuâ diſputationem inſtituere conceſſerit dicens, ſe illum doctarum, quod alicujus Regiminis aut Status Acta legibus & judiciis ſuperiores ſint.

5 Res bona publica concernentes typis divulgandas curavit, ac mandato publico cavit, nequis decreti publici poteſtatem, & vigorem in dubium vocaret, aut inoboedientia aliqua ſe exponeret.

6 Cauſam Domini de Mount Norrit ſine ullo juris aut judicii fundamento tranſactam eſſe.

7 Quod in bonorum publicorum caſu Dominus de Villen, & allii expoſſeſſionibus ſuis aliiſque bonis magna ſua jactura ejecti ſint.

8 Quod debeat rationem reddere de Domini Cancellarii causâ, ejuſque captivitate, & vinculis.

9 Item de Comite de Kildaer in vincula conjacto, quod fortunas & poſſeſſiones ſuas non tradiderit.

10 Ut & de Haubets, & diverſis aliis perſonis, qui tamdiu captivi detenti, donec bona ſua obtuliſſent.

11 Quod mandatum publicandum curaverit, quo tenuioris ſortis homines ſententiæ ipſius non parentes comprehendi, & vinculis conſtringi jubebantur.

12 Quod vectigalia conduxerit, eaque pro lubitu

bitu suo graviora reddiderit, unde factum, ut privatas suas opes majorum redituum annuorum accessu auxerit, ac tertiam, ac quartam ferè bonorum partem acceperit.

13 Quod nullas merces Hiberniæ proprias sine consensu ejus exportare licuerit.

14 Quod ratio ipsi reddenda sit de magno quæstu percepto ex Tabaco, farinâ in lino, ollis ferreis, & fistulis tabaco sugendo aptis, quem durata, bonorum consignationibus, & publicis mandatis extorsit.

15 Quod juramentum extorserit navarchis, cæterisque in navibus munia potiora obeuntibus, ut & ipsis sociis navalibus, ut præfectis, aliisque suis officiariis mercium & bonorum navibus impositarum indicem traderent.

16 Quod Hiberniæ incolas dominatui suo subiicere & constituerit, & inceperit, eaque de causâ jugum hoc detrectantes, oboedientiamque non præstantes militibus oneraverit.

17 Quod maximis urbibus vectigalia & census diversas ac magnas pecuniæ summas reddentes imposuerit, eosque vi armata extorserit, ac plusquam centum familias eiecerit, quod bona sua exhibere recusarint.

18 Ut autem querelas hac de re instituendas impediret, nobilibus & aliis in mandatis dedit, ne sine ipsius permissione ex Regno aliò concederent.

19 Fassus est, Regem in animum induxisse, Hiberniæ exercitum ad eum statum, & for-

mam deducere, ut tribus suis regnis exemplo sit futurus.

20 Quod novo exercitui octies mille, aut pluribus militibus constanti stipendia promptè soluta, & Religionis exercitium concessum sit.

21 Quod animi fortioris & promptioris excitandi causâ cum Recusantibus de vili summâ pendendâ transegerit, & convenerit.

22 Quod jure jurando ipsos adegerit, ut se sacramento obstringerent, omnibus mandatis Regiis se oboedientiam debitam præstituros: Quod inoboedientes, ac parere recusantes & captivos fecerit, & pecuniâ mulctaverit, adeò ut non nullis quinquies mille libras extorserit: Quod etiam jurejurando affirmaverit, se contumaces etiam sanguinis profusione puniturum.

23 Quod Regi author extiterit, ut pacem initam rumperet, & Scotis quos rebelles & proditores esse dicebat, bellum inferret.

24 Quod Regi consilium dederit, ut vi pecuniam cogeret,

25 Quod Hibernos in publico Parlamento congregatos ad bellum Scotis indicendum concitaverit.

26 Dixisse fertur, Regem à Deo & hominibus plurimi æstimatum iri, si in pecunia colligenda consilio suo obtemperaturus esset, postea quam Anglicum Parlamentum suppetias pecuniarias exhibere detrectasset.

27 Regi consilium dedit, ut duodecim subsidia pecuniaria postularet, quò vectigal navibus

impositum

impositum abrogaretur; & si voti sui compos non fieret, ac repulsam ferret, autor ipsi fuit, ut Parlamentum Anglicum dimitteret, ac dissolveret, quod etiam factum est.

28 Regi dixit, quod quoad regimen suum, aliaque illud concernentia, ut & media pecuniaria pro lubitu, quicquid velit, constituere queat, quandoquidem à Parlamento ipsi hæc denegata essent, verbis his additis, se in Hiberniâ exercitum in promptu habere, quo Regnũ hoc ad oboedientiam debitã revocare queat.

29 Regi suasit, ut vectigal navibus impositum rigidorum ac severorum mediorum operâ exigeret, & extorqueret.

30 Quod Regi consilio suo suggesserit, ut centum mille libras ab urbe Londino mutuo peteret, & cum Regis petitioni satisfactum non esset dixerit, civibus vitam opibus propriis redimendam esse, nec rem unquam in meliorem statum revocatum iri, nisi Consulum quidam in patibulum agerentur, atque alii in carcerem coniicerentur.

31 Quod argenteis laminis centum & tringinta mille libras valentibus in officinâ monetariâ manus injecerit, easque ad periculosum aliquod incoeptum detinuerit: Regi verò interim consuluerit, ut cupream monetam cudendam curaret.

32 Galliæ Regem equitum cataphractorum operâ cujus vis subditorum facultates expiscari, ut eas in usum suum adsciscere pro lubitu posset, affirmavit, ac Domino Cotting

tonio rem ponderosam, & consideratione dignissimum esse dixit.

33 Exercitus ac militum minis coactus superiori anno in Angliæ Boreali parte pecuniam erogavit.

34 Solus jacturæ, quam Angliæ Regnum urbis Neucastel amissione fecit, ansam præbuit,

---

II.

Literæ Proregis ad magni nominis Matronam quandam datæ.

DOmina: Quamvis de proposito nostro aliquid in vulgus emanarit, stabile illud tamen & satis firmum hactenus permanet. Necessitas requirit, ut quàm celerrimè duo librarum millia transmittas. Nullum adhuc periculum imminet, nec ulla aliqua difficultas se manifestat. Arcanum tibi concreditum modo custodias, & jus jurandi, quo te alligasti, memor maneas. Multorum capitum Bestiam prosternemus, & Diaboli progeniem illam vitiosissimam antè destruemus, quàm unquam illis in mentem, aut suspicionem incidere queat. Epistolam hanc Vulcano tradas. Mercedem tuam postea in coelo accipies.

III.

Concludens Domus inferioris Anglico Parlamento postulatio contrà Comitis Straffordiæ Hiberniæ Proregis personam.

QUandoquidem Equites, Cives, ac membra Inferioris Domus in hoc Parlamento conventum agentes suo & totius in Angliâ communitatis nomine Thomam Straffordiæ Comitem proditionis summæ & perduellionis crimine insimularunt, utpote qui antiquas, & fundamentales Angliæ, & Hiberniæ Majestatis suæ Regiæ Regnorum leges funditus evertere, ac radicitus extirpare, inque locum earum ex Regentis arbitrio pendens, & Tyrannicum Regimen substituere, ac in dicta regna introducere conatus fuit, Tyrannicam & legum in nominatis regnis usitatarum orbitam egredientem Potestatem in Majestati suæ Regiæ subjectorum civium & populorum libertatem exercuit; Proprio motu & authoritate Majestatis suæ Regiæ subditis in Hiberniâ vitam degentibus invitis onera varia imperanda curavit, & militibus eos pressit, ut eos viâ tali ad mandatorum, & postulatorum suorum ad libellos supplices partium litibus mutuis se prosequentium datorum & pronunciatorum oboedientiam violenter adigeret, unde etiam contra diversos Majestatis suæ Regiæ subditos apertum

in Hibernia Executio violenter instituta, bellumque apertum in eo Regno in Regiam suam Majestatem, populumque ejus excitatum est. Qui etiam post nuperrimam & ultimam illam, atque infelicissimam Parlamenti dimissionem & dissolutionem apud Serenissimam suam Majestatem ejus subditos Inferioris Domus in Parlamento assessores calumniatus est, Regemque judicio suo omnibus regiminis legibus liberum & solutum esse judicavit, eique suasit, ut liber ac solutus nullis se amplius legum frænis coërceri pateretur. Quod ut eò facilius effectui dari posset, exercitum in Hibernia promptum se habere dixit, cujus operam in Angliæ Regno compescendo & in ordinem redigendo adhibiturus esset. Quæ omnia talia sunt, ut summæ proditionis convictus,& perduellionis reus supplicium criminibus tantis dignam meritus sit. Fuit etiam præfatus Comes incitamentum belli istius funesti, quo Angliæ & Scotiæ Regna illa duo florentissima commissa sunt. Omnium horum criminum Comes dictus & accusatus, & plenis etiam testimoniis convictus est.

Ea de causa concludunt Regia sua Majestas, ac Domini Pares, & Communitas civium & subditorum in hoc Parlamento conventum agentes ex authoritate universo coetui competente, quod nominatum Straffordiæ Comitem propter dicta crimina & delicta summæ proditionis condemnare velint, ut tali mortis genere, ac ejusmodi bonorum, facultatum, ac hereditatum suarum in Anglia pariter, atque in Hibernia

ernia confiscatione puniendus sit, quali Parmentum præsens ipsum dignum judicabit.

Exceptionem tamen hanc addunt, quod nulis Iudex, aut judices nulli, nullum judi cium, ut judicia nulla qualis aut qualescunque, quale it qualiacunque etiam fuerint, nullam rem, it nullum actum proditionem interpretari, ec etiam ullam proditionem audire, nec defiire, nec alia etiam ratione facere debeant, uàm fecissent, aut facere debuissent, ante uàm hoc decretum est conclusum, & perinde : si nunquam decretum esset: Reservatis taien semper omnibus & singulis personis, Polico, & cuique corporali corpori, hæredibus, & osteris ipsorum, præter dictum Comitem & eredes ipsius, & tales qui ab eo dependent, nnibus, ejusmodi juribus, titulis, usibusque omum, in omnibus, & ad omnes ac singulas prærti Comitis ditiones, possidentia bona hæredi-ria, quæ ipse, ipsi, aut aliquis eorum antè priium hujus Parlamenti diem præsentem habueint, non obstante ulla re contrariâ hic comrehensa.

Excipiunt itidem, quod hujus præsentis decre-, & Majestatis Regiæ consensus constitutio on debeat esse determinatio Sessionis hujus arlamenti præsentis; Sed quod præsens hujus arlamenti Sessio, & omnes literæ & causæ in arlamento pendentes, nec in perfectum deretum determinatæ, quæ continuationem suam sque ad hujus presentis in Parlamento sessioem habere debent, manere, continuare, &

in pleno

in pleno vigore esse debeant, perinde ac si hoc decretum nunquam fuisset.

IV.

Ultima Epistola Comitis Straffordiæ ad Regiam suam Majestatem, & Data ex carcere in Turri Londinensi 4 May 1641.

Serenissime Rex

In omnibus hisce turbis nihil mihi molestius nec gravius accidit, quàm quod talis habear, & existimer, qui Regiæ Vestræ Majestati ea persuadere voluerim, quæ ad simultates inter Regiam Vestram Majestatem, & subditos serendas tendentia illud efficerent, ut tria Regna hæc Florentissima ex pace & quiete in turbulentissimum statum coniicerentur.

Veritati maximè congruit, (si statum meum præsentem, vivendique conditionem privatam accuratâ pensiculatione excussero) enormem à rectâ ratione facinus ejusmodi delirationem futuram fuisse, quandoquidem clementissimus Majestatis Vestræ favor ad eos honorum amplissimorum gradus me evexerat, ad quos summos nulla major accessio fieri poterat, adeò ut nil mihi amplius expetendum restaret, atque id uni-

d unicum maximè placeret, ut in eo conditio-
is mea ſtatu firmus hererem in quo ſereniſſimæ
/eſtræ Majeſtatis benevolentia me collocare
lignata fuerat.

Totum itaque negotium ὕστερον πρότερον con-
eptum inversâ interpretatione in pejus detor-
uætur; Majeſtatem enim Veſtram minimè la-
et, miſera & humilia mea conſilia ſemper eò
pectaſſe, illudque unicum propoſuiſſe, nec
Majeſtatem Veſtram, nec Populum Majeſtatī
/eſtræ ſubjectum ullo unquam tempore pace
uietâ, ſtabili, & proſperâ frui poſſe, niſi mu-
uâ concordiâ coaleſcentes ſano ſenſu mutua
erba & dicta interpretemini, ad quod effe-
tui dandum & ſtabiliendum aliud remedium
ullum inveniri, nec offerni, niſi Parlamentī
onſilium & conſenſus unanimus, ac fiducia ve-
tra Regia, quæ fidelitate, & ſingulari animī
Subditorum Veſtrorum Anglicorum propenſi-
ne freta omnes difficultates ingruentes, ærum-
aſque ſtatui Veſtro Regio, Regniſque immi-
entes prevenire ac antevertere novit.

Verum hac in parte cum infelicitate ænormī
onflictor, quod veritas hæc nec locum depre-
endat, nec fidem inveniat: Contrarium enim
pud univerſos majorem fidem mereri videtur,
& Ego judicor diſſidio aliquo Majeſtatem Ve-
ſtram à populo ſubdito diſjungere voluiſſe; Quæ
cenſura profectò, aut quod judicium, uti mihī
perſuaſum habeo, multo ac longè gravius eſt,
quàm, quod ab ullo nobili genere oriundo to-
lerari queat.

Jam

Jam ad aures meas pervenit, ex quo percipio, populum majori indignatione contrà me inflammatum & accenſum eſſe, quanquam Majeſtas veſtra apertè aſſeveraverit, Quod Regia Veſtra opinio nullam in me proditionis noxam perveſtigare queat, eaque de cauſa religioni ducat ſententiæ me capitis condemnanti ſubſcribere, utpote quam conſcientiæ ſuæ contrariam offendat.

Maximis animi anguſtiis involvor. Modò mihi ante oculos verſatur interitus liberorum & familiæ meæ quæ nunquam adhuc ramum aliquem ullo aliquo crimine foedo inquinatum produxit. Modò oculis meis ſubjiciuntur multæ ærumnæ, & difficultates, quibus non modo Sacra Veſtra Majeſtas, verum & totum hoc Regnum impediri, & implicari poteſt, ſi Majeſtas Veſtra & Parlamentum diſſenſione aliqua diſſideretis, nec eâ, qua pareſt, & quæ ad Regis populique ſalutem incolumitatemque conſervandam requiritur, ratione deſideria mutua expleretis. Modò etiam in conſpectum meum prodeunt vita, & mors, ex quibus, illa apud mortales maximo eſt in precio, hæc vero iiſdem maximum terrorem incutit.

Si dicerem, Sereniſſime Rex, quod nullis tentationum cruciatibus afflictus fuerim, humanitatem meam ultrà debilitatem meam extollerem, & de meis viribus nimis multa mihi pollicerer, ac cor meum peſſundarem, quod tanti facinoris minimè conſcium fuit.

Veruntamen ingenti triſtitia tandem eò devolutus

lutus ſum, ut illud decreverim, quod judicio meo perſonam meam maximè decet, nimirum, ut præcipui totius hujus cauſæ fundamenti rationem habeam, & inprimis reſpiciam Sacræ Veſtræ Perſonæ, Bonique publici proſperitatem, quæ duo profectò privati hominis felicitatem longè antecedunt. Idcircò, ut paucis expediam, quemadmodum me totum committo & concredo honori & Juſtitiæ Parium ac Procerum; Ità etiam humilimâ petitione à Majeſtate Veſtrâ contendere voluiſſem, ut Declarationem proximo die Sabbathi factam omiſiſſet,& me totum arbitrio Procerum & Parium parmiſiſſet. Sed quò Majeſtatis Veſtræ Conſcientia in præſenti caſu liberetur, & diffidia atque errores, qui ex Majeſtatis Veſtræ denegatione facili negotio emanare poſſent, præcaveantur, humilimâ ſubmiſſione Majeſtatem Veſtram obſecro, & obteſtor, ut Sententiæ morti me adjucanti nomen ſubſcribere, eamque calculo ſuo approbare non gravetur. Unico enim hoc remedio (ne non dicam execrandâ, ſed, ut verum fatear, infeliciſſimâ) diffidiorum & ſimultatum poplites (Deo ſit laus) ſuccidentur, omniaque ad ſalutarem illam concordiam, quam, ut ſpero, Deus Opt. Max. inter Sacram Veſtram Majeſtatem, & Subjectos æternam ſtabiliet, tandem deducentur. Sereniſſime Rex, Conſenſus hic meus Majeſtatem Veſtram coràm Deo majori excuſatione purgabit, quam omnes totius mundi excuſationes facturę eſſent. Volenti enim non fit injuria, Deo Gratiam mihi

 largiente

largiente condono atque remitto toti mundo eà quietudine, & humilitate quæ animam meam hunc orbem caducum relicturam maximè contentam & pacatam reddunt. Tuæ Majestati, Rex Serenissime hanc vitam mundanam, omniaque, quæ ad lætitiam creandam excogitari possunt, opto & voveo cuncta merita Regia ex Regio tuo favore in me profecta memori animo recolens. Id autem unicum à Regia Vestra Majestate humillima petitione contendo, ut Regiæ Vestræ Majestati benevolentiâ consuetâ filium meum calamitosum, sororesque ejus tres filias meas complecti faveremque suum regium eâ mensurâ metiri placeat, quam temporis progressus in patris ipsorum infelicissimi morte plus aut minus merita detegendâ suggesserit.

Deus Opt. Max. Majestatem vestram plurimos annos ab omnibus calamitatibus sartam tectamque, conservet.

Majestatis Vestræ fidelissimus & humilimus subditus

STRAFFORD.

Ex Turri Londinensi 4. Maii Anno 1641.

EJUS-

EJUSDEM COMITIS

Valedictio, ſeu Oratio valedictorieia, qua Angliæ Proceribus atque Magnatibus, in turri Londinenſi valedixit, antequam ad ultimum ſupplicium deduceretur.

MAgnifici Viri, &c. Me ad mortem deducendi causâ huc confluxiſtis. Eam animo prompto ſubire paratus ſum tanquam debitum, quod & Majores noſtri Naturæ perſolverunt, & poſteris noſtris etiam ſuo tempore perſolvendum erit, tanto tamen minore metu extimeſcendum, quanto minus declinatione aliqua evitari poteſt. Quod omnibus commune eſt, intolerabile nemini eſſe debet. Lex eſt naturæ impoſita; Vectigal, quod caro pendit; Remedium, quod omnes curas & turbas humanas amolitur; & Via perfecta, ac certa, quæ juſtum ad æternam ſalutem deducit. Mors una expectanda; ad eam viæ diverſæ & variæ patent. Quæ mihi oppetenda, non eſt naturalis, ſed violenta ex lege & juſtitiâ emanans. Communi quidem proverbio fertur, leges vulgo præſcriptas vilioris ſortis hominis vexare; Magnates autem magna iis reſiſtendis potentia & authoritate pollere. Veruntamen longè aliter mecum comparatum eſt. Etenim legibus me ſubiicio, & neutiquam inficior, me hoc ca-

ſu ex juſtitiâ profectò opprimi. Qui in Politico Regimine ad Commune bonum tanquam ad ſcopum ſummum actiones ſuas dirigit, juſti viri titulum jure meretur: Qui vero è contrario machinationibus ſuis proprio commodo inhiat, aut alium finem perverſum & illicitum ſibi proponit, haud immeritò Delinquens aut peccator appellandus. Nec poene dilatio veniæ, aut condonationis privilegium indulget. Proinde cum Cicerone aperte fateor, Malorum mortem bonis, qui vivunt præſidio & tutelæ eſſe. Non eſt quod quis confidat aut Principis ſui beneuolentiæ, & favori, aut Parium, vel Magnatum familiaritati & conſanguinitati, aut propriæ ſuæ cognitioni & ſapientiæ, quibus rebus cunctis me nimis confiſum eſſe fateor. Reges coram Deo homines, coram hominibus Dii ſunt. Poſſum idem jam dicere, quod aliquando quidã ex Regni hujus Proceribus dixit: Si Deo meo tanta animi contentione oboedientiam debitam præſtare ſtuduiſſem, quanto quidem ſtudio Regis mei honorem tutatus ſum, ſtabilis manſiſſem, & non cecidiſſem. Terque quaterque beatus Princeps, qui juſtitiæ cultu timorem & bonitas Comitatisque exercitio timorem ſibi conciliat.

Què majore potentia Principes alios ſuperant, eò ſuperiores alliis virtutibus evadere debent. Talis eſt Regius ille rerum moderator, in cujus miniſterio conſtitutus nuper munia mea obire ſolitus fui.

Quantum ad Pares & Proceres meos attinet, familiaritas, & neceſſitudo, quæ mihi cum ipſis

ipsis intercessit, cum omnia mihi ad votum fluerent, jucunditate, & recreatione magna me affecit. Iam commiserationem, qua casum meum commiserati sunt, ostenderunt. Abundè comperi, eaque de causa apertè dicere possum, ipsos (etiam qui generosiore animo sunt;) quamvis factum ipsum reprobarint, nihilominus Personæ delicto obnoxjæ misertos esse, priusque fidelitati ipsorum acceptum ferri, posterius vero amori attribui debere. Ingenuè autem fateor, nullo unquam tempore ullum subditum aut Parem in eâdem, quâ ego, conditione versantem talia consilii adminicula, tale temporis beneficium, aut tam liberam & legitimam litis actionem, qualis mihi fuit, habuisse; Cum in ejusmodi rerum statu nunquam aliquis majore principis sui patrocinio fruitus, aut pluribus à Populo cruciatibus divexatus sit. Populi titulo hic prudentem civium communitatem, & non monstrum illud capitum multorum vulgus nempè imperitum intelligo. Veruntamen peccavi; Sententia lata est; & mihi patienter omnia toleranda sunt.

Quod Sapientiæ, prudentiæ, ac cognitioni meæ in opinione mea versatæ, & ex imaginatione conceptuum meorum profectæ nimis confisus fuerim, potissimum & præcipuum est, quod me in fraudem & damnum devoluit. Verè sapiens est, qui aliorum vitia inspiciens sua emendatione seria corrigere & deponere novit. Veri sapientis munere qui fungi vult, sibi ipsi à Secretis sit oportet. Stultitia enim est alterius

taciturnitati animum suum credere, ac internas cogitationes peregrinis palàm facere. Sapientia preciosissimus est thesaurus, preciosissimumque ornamentum, quo animus exornari potest. Eruditiones celeberrima, quæ alicui existimationem conciliare deberet. Sapientia vera benefacere juxta ac facundum esse docet. A priore deliravi; Hominum enim sapientia stultitia est coràm Deo.

Cognitio res media & indifferens pari passu ad bonum & malum vergit. Se ipsum nosse optima est notitia: Eam consequutus omni φιλαυτία ex animo suo exterminata sibi ipsi non placebit, utpote qui seria meditatione ortum & exitum suum inspiciet. Hic vanam mundi gloriam, vanasque ejusdem delectationes, gaudiaque inania neutiquam intuetur, sed cultu & honore debito Deum prosequens in timore ejus vitæ suæ curriculum ad finem deducit. Qui autem verâ sui cognitione imbutus non est, vias suas petulanter & protervè perambulat, in vita suâ, quam vivit, inutilis, ac in morte sua infelix est. Talis ego sum. Sed occasionem quæ me ad hoc quærendum abripuit, audi. Lectione perceperam, Eum, qui nesciret, quæ ignorare fas non esset, instar irrationalis bestiæ inter homines versari: Qui plus quam quæ deberet scire, nosset, tanquam hominem inter bestias commorari; Qui omnium, quæ sciri possent, cognitionem habere, tanquam Deum coetui hominum interesse. Ad hanc laudem aspiravi, hujusque rei desiderio & ardore

ardore maximo quidem flagravi, ſed ejuſdem appetitus nimius ingrandes errores me præcipitem egit. Vanitas vanitatum & omnia vanitas.

Populi rumore temporum horum perverſorum culpa in me confertur. Utinam illa morte mea emendarentur, & in melius vergentia contraria evaderent. Certum tamen eſt, & extra omnem dubitationis aleam poſitum, maximam tempeſtatis procellam his temporibus & moribus imminere, quod omen Deus clementer avertat. Et quoniam ſors mihi exivit, quemadmodum Ionæ Prophetæ, ut in hoc ulti mæ calamitatis mare eiiciar, mortem meam optime collocatam arbitrabor, ſi eâdem ira divina placari, & hominum malitiæ ſatis fieri queat.

Quidnam aliud eſt eloquens facundia, quam parum aëris ſonorum varietate & diſcrimine quodam variata & formata? Cùm è contrario ſermonis recti & boni incompendium contractio virtutis titulo jure exornetur, ac ſilentium ipſum ſæpè Orationis optimæ locum obtineat, & efficiat, ut ſtulti eodem ſtupiditatem ſuam velantes cum ſapientibus paria faciant, eorumque numero adſcribantur. Viribus ejus modi pollet, quæ bonam cauſam in malam convertunt, malæque bonitatis ſpeciem prætexunt. Sed mea mihi eloquentia fructus nullos tulit cupreſſam arborem imitata, quæ procera & in magnam altitudinem aſſurgens, fructuumque planè expers ſterilitatem ſuam prodit.

Honores primum ad inquietas turbas gradum

ſternunt. Potentia nunquam non invidiæ ſtimulis confoditur, eamque ab infamia liberam difficultes quis præſtat. Haud minima verum potiſſima honoris pars exiſtimatur, ſiquis cum functionis & muneris ſui functione affabilitatem, comitatem, commiſerationem, ac miſericordiam copulet. His enim virtutibus tanquam dulci aliqua violentia maximæ mortalium partis animos ad ſe allicit.

Sed ut hæc ſeria meditatione olim perpenderem, parum laborávi, quæ tamen præteritorum memoriam repetenti hos cogitationes menti meæ iniiciunt, homines eò facilius in erroribus ſuis deprehendi poſſe, quo altiorem honoris, authoritatis, & amplitudinis gradum conſcenderunt, imò minimum crimen ab ipſis commiſſum capitale judicatur, minima in tenuiſſimo & albiſſimo linteo macula grandis apparet, minimumque in precioſiſſimo adamante vitium longè facilius animadvertitur. Verum enim verò magni, & generoſi animi homines ejus modi cenſuræ verberati, & flagellati tanto propriæ poenæ, anguſtiarum dolore non excruciantur, quanto inimicorum ludibriis & ſubſanuationibus afficiuntur. Equidem moribundus nullius hoſtilem in me animum me comperturum ſpero, quamvis multorum inimiticia me vivum exagitatum fuiſſe autumem.

Ex omnibus vitiis, quæ magnorum ingeniorum animos inquinare, & commaculare ſolent, nullum majus odium parit quam ambitio, cui avaritia ut plurimum ſe comitem adjungit. Qui con-

contagiosis his morbis infecti sunt, ut proposi-tum scopum attingant, nil pensi habent, sive Religionis & rationis limites egrediantur, sive necessitudinis & consanguinitatis vincula confringant. Horum cum me affinem esse sciam, Deum precibus invoco, ut veniâ clementi commissurum fasce gravi animam meam miseram levet. Proverbium Philosophorum vulgare docet, ambitiosos homines nunquam principibus consilia bona suppeditare. Habendi cupiditas Magnatibus est familiaris, regendique desiderium plerumquæ ipsos in exitium præcipites agit.

Domini mei; Ego sum jam Præses ille spe omni destitutus, & vivendi expectatione frustratus. Utinam vobis omnibus infelix meus casus felici exemplo esse possit. Ambitio enim tenebras offundit, & sanguinem potat, ac in cerebris hominum ad tantum fastigium properat, ut tandem succisis poplitibus miserando casu propriam cervicem frangat. Satius itaque est humilitate contentum vivere, quam curarum & perturbationum laqueis irretiri. Penuria honesta omnium rerum affluentiæ inhonestæ longe præstat. Quid aliud sumus quàm vapores sudum coelum profundè penetrantes, & momento citius fumi instar evanescentes, & in auras abeuntes. Haud multum abludimus à navibus quas tempestuosarum procellarum rabies ventique adversi variis jactationibus exagitant. Agricola peritus spicas apices in terram inclinantes pluris facit, quam erectas, utpote

qui illas pluribus granis abundare, has paucioribus refertas esse novit. Omnia, quæ dico, ni vulgus quidem ac clippis & tonsoribus nota sunt; sed quam pauci auream hanc doctrinam vivendi normam sibi constituunt. Ego quod neglexerim poenas jam dare cogor. Utinam ex iis, quæ patior, aliit utilitatem & commodum perciperent.

Quid adjumenti, & suppetiarum mihi tulerunt Principis mei favor & benevolentia, Parium & Magnatum familiaritas, linguæ facundia, memoriæ firmitas, eruditio, honor, munera, potentia, divitiæ & thesauri, insignia Naturæ & Fortunæ bona & dona? Quamvis à benedictione divina in homines conferantur, confertim tamen omnia rarò in unum simul congeruntur, quemadmodum ferè cuncta Divini Numinis beneficio mihi obtigisse non diffiteor. Si iis rectè usus fuissem, in florentissimo rerum mearum statu stabilis permansissem, nec immatura morte conciderem.

Equidem jam optarim, (si modo optandi tempus non præteriisset, & illud Utinam nimis Serum esset) ut Deus Opt. Max. cum externa sua bonitate mihi exhibita etiam internam suam gratiam conjunxisset, & mentem meam illuminasset, ut mediam viam ingressus, mædiocritatemque sectatus nec addextram nec ad sinistram me deflexissem. Sed Icarum, qui cereis alis instructus ne eas, madefaceret, humili volatu terræ nimis propinquus fieri verebatur, imitatus in altum nimis evolabam, Solique nimium appro-

appropinquans alis calore liquefactis ex alto decidi, ac miſerera aquarum rapina evaſi. Ante hac architectus imprudens ædificii mei ſtructuram in arena locavi; mutato fundamenti loco ſpem meam inpetra firmiſſima Salvatore nimirum meo jam collocavi, in cujus meritis anima mea fiduciam ſuam ponens, qui cunque exitus etiam corpus meum manſurus ſit, inſinum ejus congregari ſperat.

Nimrod turrim cujus ſummitas coelum attingeret, exſtruere cupiebat, eique nomen Babel imponebat. Deus tamen conatum ipſius confuſione linguarum, ac populi diſſipatione eludebat. Pharao Iſaraelitas captivitate defentos poſt quam dimiſiſſet, eoſdem ſumma protervia prædam ſibi facere conſtituerat; Deus tamen his ſiccum & miraculoſum per mare rubrum tranſitum largitus eſt, illum vero cum toto ſuo exercitu aquis ſepelivit.Belſazar imperii ſui Principes & Proceres tanto & ſuperbo convivio excipiens vaſis argenteis extemplo Hyeroſolymitano raptis Imperii felicitatem ac ſuorum nomina bibit: Manus verò divina parieti inſcripſit Mene, Tekel, Phorat; eademque nocte miſer & regno & vita ſpoliatus diem obiit. Hoc pacto Divina Majeſtas homini ſpacioſum propriis ſuis cogitationibus ludendi intervallum concedit, nec unquam patitur, ut voti ſui compos fiat, aut optata effectui det, adeò ut talia in propriam ejus ruinam & exitium abire ſoleant. Itaque non eſt cur aliquis potentiæ ſuæ confidat, de propriis viribus glorietur,

rietur, & divitiis suis innitatur. Cuncta hæc, institutionis nostræ causa literis concredita sunt, ex quibus vivi non autẽ mortui elementum sentiunt. Ingenii acrimoniam ac sapientiam nullum fructũ ferẽtes stultitiæ finitimas jure affirmamus.

Major in mundo ignobilitas existere non potest eam, quæ mundum ab unoquoque susque deque habitum magni facit, & Deum à quovis hominũ reverentia summâ cultum nihili pendit.

Ac inter homines nil stultius & insanius inveniri aut excogitari potest, quam summo labore & sudore facultatum & opum suorum incrementis inhiare, corpusque suum vermium habimtaculu, vanitatisque domiclium probe curare & exornare; animam autem è contrario vanis voluptatum recreationibus æterno gaudio exuere. Magnę stoliditatis opus aggreditur, quicunque malo initio eventus optati spẽ concipit, & ad exitum speratum malo principio sibi viam sternit. Uni soli attribuere, quæ antea omnibus communia fuêre, imbecillis judicii res est, ex quâ discordiæ & simultates scaturiunt. Castigatione hac mea ut finiantur, vehemẽter exopto.

Quàm parva terræ particula corpus meum jam, conteget, & complectetur, cum tamen animus meus nil nisi magna spirans duorum tantorũ Regnorum spaciosis limitibus includi non potuerit? Sed quoniam tempus me urget, Regii Vatis dicto sermoni meo finem ut imponam necesse est. Eo neminem privatim tango, sed omnibus & universis illud propono. Quamdiu vos Iudices corrupti eritis? Quamdiu omittetis in judicando ju-

do justitiam sequie, Beatus ille qui in impiorum consil o non ambulat, nec sedet, ubi devisores sedent. Propterea in judicio non consistent, nec peccatores in justorum conventu &c.

Circa duodecimam horam dictus Straffordię Comes ad theatrum Tourhill, ub. Excubiarum caterva diversis mil.tum Londinensium vexillis constans stationem habebat, & Turris Londinensis ministri viæ, qua ipsi ad theatrum eundum, utrumque latus dextrum videlicet & sinistrum claudebant, deducebatur. Præibant Mareschalli servi, ut viam magna hominum multitudine obsessam aperirent. Proximi Sherifs vel Londinensium Prætorum officiarii, aut satellites bipennibus suis, instructi, sequebantur Regium præsidium, & Excubitores Londinensis Turris. His succedebat unus ex comitis nobilibus vestimentis lugubribus amictus, & capite nudo incedens, post quem Straffordiæ Comes lugubri veste tectus cum nonnullis aliis eodem vestitu pullo opertis, & ministris suis ad locum supplicio suo destinatum progrediebatur. Ordinem claudebant Ep.scopus de Armach, alii quidam Theologi, Sherifi sive prætores Londinenses, ac diversi alii honesti viri.

In locum, ubi de ipso supplicium sumendum erat, postquam pervenit, undique se toti populo ostendens summa & fortissima animositate, quæ in mortalem aliquem cadere potest, sequentem orationem habuit.

Mi Domine Primas Hiberniæ, & vos alii nobiles ac Domini, qui hic præsentes estis. Per-

quam mihi gratum accidit, magnumque ſolatium affert, quod hodie præſentia & ſodalitio veſtro frui poſſim, quandoquidem haud parvo temporis intervallo familiaritas & neceſſitudo quæ mihi vobiſcum interceſſit, definitur. Parvam quidem audientiam precibus meis poſtularem, ut paucis adhuc verbis nonnulla in medium proferam, quod tamen vix fieri poſſe video. Mi Domine, Voluntatis divinæ arbitrio huc proceſſi, ut ultimum peccato debitum mortem nimirum perſolvam, & reſurrectionis Gratiâ Divinâ, meritiſque Chriſti ſalvatoris noſtri acquiſitæ beneficio ad æterna gaudia revertar. Sunt nonnulla de quibus cum Domino meo ſermones privatos libenter miſcerem, ſi mihi ea proferendi facultas daretur, inſignis beneficii loco acciperem, & multis nominibus me tibi devinctum arbitrarer. Mi Domine; Meus in hunc locum adventus eò ſpectat, ut ſententiæ latæ me morigerum præſtem. Quieto & imperturbato animo illud facio, mentique meæ ſatisfactum eſſe confiteor. Liberè & ſponte toti mundo, quicquid contra me actum eſt, condono ejusmodi condonatione, quæ non in externa tantum lingua verſatur, ſed etiam ex intimis animi penetralibus profecta cogitationum mearum ſeriarum interpres eſt. Dei preſentia, coram cujus aſpectu hic conſiſto, aſſeverare auſim, quod ne minima quidem cogitatio in me reſtet, quæ ullum hominem offenſæ alicujus inſimulare velit, aut me ulla offenſione accepta jam turbare poſſit. Deo gratias ago,

quod

quod hoc affirmare valeam. Conſcientia mea mihi teſtis eſt, quod in omnibus meis muniis, & negotiis, in quibus conficiendis opera, conſilio, & labore meo Regia Majeſtas uti voluit, & dignata eſt, nullum alium ſcopum mihi unquam præfixerim, quàm communem ac inſeparabilem Regis ac ſubditorum ſuorum ſalutem, & incolumitatem. Quod ſi perperam intelligatur, id me magno hoc malo, & infortunio mactat, ac cuivis in vita ſua æquè ac mihi uſu venire poteſt. Judicium juſtum, quo hec omnia dignoſcuntur, huic vitæ caducæ ſuccedaneum ſententiâ verâ litem dirimit, ac poſtliminio verum à falſo ſegregat. Quamdiu terram caducam incolimus, erroribus omnes obnoxii atque ad mutua judicia perverſa, calumniarumque per mutationes proni ac promti ſumus. Divina gratia excepta proximum & optimum medium, quod Regi ac populo ſuo in columem felicitatem acquirere poteſt, Res una eſt, quam liberè effando hic aperiam, ac firma confidentia eloquar eamque etiam à Vobis Chriſtiano amore motis approbatum iri confido; Parlamenta Angliæ nimirum conſtitutionem fortunatiſſimam, ſub qua unquam imperium aut natio aliqua viguit, â ſemper arbitratus ſum, tantum abeſt, ut unquam à tàm laudabili conſtitutione abhorruerim, aut machinationibus quibus cunque eadem tollere tentaverim. Quoad mortem præſentem, ex hoc mundo peregrinus jam diſcedo, & Deum ex animo precor, ut illis, ac inprimis tibi, Domine Primas, omnia re-

mittat

mittar. Illud mihi jucunditatem parit, quod Regia Majeſtati, me tam ſeveram & gravem poenam, qualem ſententiæ hujus argumentum externè complectitur, meritum non eſſe cenſeat.

De gratia hac mihi exhibita gaudio efferor, atque Deum oro, ut eam ipſi compenſet, ac iterum gratiam largiatur, quam primum eâ ipſi maximè opus fuerit. Huic Imperio Anglico omnem felicitatem ac proſperitatem ex animo precor & voveo, illudque jam moribundus facio, quod vita incolumi ſemper feci. Mentis meæ penetralia intima aperio, ac firmiter hæc aſſevero, ſummaque humilitate, quæ dico, unicuique perpendenda commendo, ut manu pectori imponens ſeria meditatione conſideret, an gentium & populorum felicitas inc hoanda ſanguineis literis deſcribenda ſit. Vereor, ne rectam viam ingreſſi devii aberretis. Equidem ardentes ad Deum creatorem meum preces fundo, ne minima ſanguinis mei gutta in extremo judicio inſimulatione aut accuſatione aliqua in vos inſurgat.

Mi Domine, Ego Anglicanæ Eccleſiæ filium oboedientem me profiteor, ac affirmo, ejuſdem confeſſioni meam congruere, utpote in quâ & natus, & educatus ſum. Eidem idcirco proſperrimam incolumitatem, & incrementum feliciſſimum opto. Quamquam rumor de me ſparſus eſt, quod ad Pontificiam religionem propenſus ſim, Ego tamen, ſi reſponſionem inſimulatio hæc meretur, ingenuè, & verè affirmo,

firmo, me ab eo tempore, qui vigesimum primum annum antecessit, usque ad hanc horam, quæ in quadragesimum nonum ætatis meæ annum incidit, nullam unquam de Religionis meæ certo fundamento dubitationem animum meum subiisse, aut de ea mutanda cogititatione suscepisse. Nemo etiam, quantum quidem mihi constat, unquam in contrariam suspicionem me adducere ausus fuit. Deo itaque per misericordiam Servatoris mei Iesu Christi, in cujus sinum propediem me translatum iri spero, ut æterna & nullum finem habitura salute fruar, reconciliatus sincera mente ab unoquoque seria petitione contendo, ut quodvis factum aut dictum meum Christianâ veniâ mihi remittat, & suas precibus meis jungat. Domini mei Valete: Omnes res mundanæ valete: Mi Deus, confirma & robora fidem meam; Da mihi fiduciam & certitudinem meritis Iesu Christi confidentem. Quæso à vobis, ut silentium præstetis, & vestris precibus orationi meæ copulatis Divinæ profectioni me commendetis. Fides mea in Deum firma & stabilis mihi pollicetur, quod omnes tandem congregati in coelo vitam sempiternam transigemus, & omnis felicitatis perfectionem accipiemus, ubi omnes oculorum nostrorum lachrymæ abstergentur, & ex animabus nostris omnes cogitationes tristes exterminabuntur. Deus Opt. Max. huic Regno benedictionem suam largiatur. Dominus Iesus animæ meæ misereatur.

Deinde seipsum ad coronam circum stantem

convertens omnibus nobilibus humaniter ſalutatis porrectaque manu cuncta felicia cuivis ſpectatorum in theatro apprecatus eſt, extremumque vale dixit.

Mox iterum, Nobiliſſimi Domini, inquit, preces meas recitaturas à vobis peto, ut mecum precemini, & in precibus veſtris ad Deum fuſis mei memores ſitis. Cappellanus ejus librum communes preces continentem ſedili antè ipſum ſtanti impoſuit, cum ingenua procideret, in quo preces legendo ferè quadrantem horæ conſumpſit. Poſtea tantum aut plus temporis ſine libro precibus & gemitibus ad Deum mittendis conferens actum hunc pium tandem Dominicæ orationis recitatione finivit. Surgenti in conſpectum incidit Frater ejus Dominus Georgius Wentwort, cui ad ſevocato, Frater, inquit. Diſceſſione hac ſeparemur neceſſe eſt. Salutatione mea ſorori & uxori meæ memoriam renovato & filio meo natu majori benedictionem meam annunciato, ipſique nomine meo mandato, ut Deum timeat, oboediens Eccleſiæ Anglicanæ filius maneat, & ſeipſum fidelem Regiæ Majeſtati ſubditum præſtet. Dicito ipſi, ut mei cauſa in neminem vindictam aliquam exerceat, nec ulciſcendi Patris cauſa quid committat. Rogato etiam, ut ab Eccleſiaſticis negotiis ſe planè retrahat, nec ullo unquam tempore ſe illis immiſceat, quæ carcinomatis & gangræne inſtar ſtatum & felicitatem ejus exedere poſſunt. Ipſi quoque precator, ut eo, quod interra miniſter & in

Comitatu ſuo juſtitiæ adminiſtrator ſit, acquieſcat nec ad magnos honores aſpiret. Benedictionem meam indicato quoque, meis duabus filiabus Ajenæ, & Arabellæ, eaſque moneto, ut Deum colant, & in ejus timore verſari nunquam deſinant, quò benedictione ejus frui poſſint; interea etiam infantem meum non obliviſcentes, quem nec boni nec mali ullius conſcium, & ſermonis proferendi inpotentem poſt me relinquo. Deus pro ipſo loquatur, ipſumque benedictione ſua compleat. His finitis, Nihil, quod agam, amplius reſtat. Unus ictus uxorem meam marito ſuo ſpoliabit, liberos meos patre ſuo orbabit, miſeros meos miniſtros hero ſuo privabit, ac me à chariſſimo meo fratre amiciſque jucundis disjunget. Verum Deus tibi & ipſis omnia in omnibus eſto.

Veſtimentis ſuis ſuperioribus deponendis occupatus, ac ad mortem oppetendam ſeparans, Deo, ait, gratias ago; nec mortem exhorreſco, nec puſillanimitate aliqua ex deſperatione aut formidine ortum ducente affligor, ſed ſuperiores meas veſtes tanta letitia & hilaritate exuo, quanta quidem unquam, quoties me cubitum conferrem. His dictis veſtimenta dicta detraxit, cæſarieque ſua manibus propriis ligata capiti vittam albam impoſuit.

Paratus tandem, ubi eſt, inquit, vir ille, qui mihi extremum hoc officium præſtare debet? (Carnificem intelligens) ipſum ad me vocate. Cum veniret, & hujus rei veniam ſibi dari peteret; ſe ipſi ac toti mundo ex animo omnia

remittere & condonare respondit. Ante truncum in genua sua provolutus iterum ad preces se convertit, ejusque unum latus Episcopus de Armach, alterum minister ejus uterque genua flectens clausit. Precibus peractis ad ministrum se convertit, ipsique verba quædam in susurravit manibus sublatis, quas minister paulo momento suis inclusit. Deinde se ipsum inclinans, ut caput trunco imponeret, carnificem, monuit, quod primo caput in truncum inclinare vellet periculum facturus, quo pacto aptare posset, eoque facto iterum illud elevare cuperet, antequam tandem, ut ictum exciperet, in truncum repositurus esset. Imò postquam reposuisset, se expansis manibus feriendi tempus, aut momentum carnifici significaturum dixit. Tandem cervice in truncum immissa manus extendit, caputque uno ictu à corpore separatum cum vita amisit, quod carnifex manibus arripiens, populoque ostendens exclamavit, Deus Regem custodiat.

VLTI-

VLTIMÆ COMITIS STRAFFORDI Quondam Hiberniæ Proregis literæ paulo ante obitum 11. Maii anno 1641. Ex turri Londinensi ad uxorem suam in Hiberniam missæ.

PReciosissima Conjux; Extrema mea, verba ex ore meo, qui in extremis meis temporibus jam versor profecta accipies. Amorem meum tibi trans mitto, quem post mortem meam conservare poteris; Consilio meo uti valebis, quando non amplius præsto sum. Tristitias & animi ægritudines haud libenter tibi proponerem, aut mentem tuam iis affligerem, eapropter eas me insepulchrum comitari patiaris. Quoniam Voluntas Divina eo necessitatis vinculo te constringit, ut aspectu meo inposterum carere cogaris, animo æquo & patiente distractionem, & diremptionem hanc toleres velim.

Primò gratias omnes, quas mens mea acutissima meditatione excogitare & rimari, aut verba mea exprimere possunt, tibi ago & habeo pro infinitis illis laboribus & curis, quibus animum tuum meę salutis & incolumitatis custodiendę causa onerasti, & solicitasti; quę quanquam eventu suo optatis tuis non responderunt, nihilo

minus tamen earum nomine mei qui hoc in mundo debita compenſatione eas æquare non poſſum, tibi devinctum tenes.

Deinde oro atque obteſtor, ac pro a more, quo me in vivis exiſtentem ſemper complexa es, vehementer illud abs te contendo, ut diu aut plures dies querula domi non latites, aut occultè deſideas, ſed egreſſa conſiliorum, laborum, & curarum tuarum auxilio miſerandam liberorum tuorum conditionem ſubleves earumque juſtitiam tuearis. Querimoniæ tuæ nullo pacto mihi propediem in pulverem redigendo adjumentum aut ſolatium afferre poſſunt.

Poſtea te certiorem reddo, poſſeſſionum mearum jus bona fide in filium meum tranſlatum eſſe. Literæ ad actionem illam pertinentes jam conſcriptæ ſunt. Per quem, quæ reſtant, tibi tradenda curem neſcio: Nam ab omnibus meis derelictus ſum. Maxima triſtitia animam meam excruciat, quod nimis celeri mortis adventu præventus meliorem & opimiorem rerum ſtatum tibi relinquere non poſſim. Deus cuncta, quæ propoſueram, & apud animum meum ſtatueram, prævertit; Deus ille Opt. Max. qui omnia ad nutum & arbitrium ſuum diſponit. Si vitam inopem & penuriæ obnoxiam degere non cogeris, de cæteris non eſt quod ulterius labores, aut curis ſuper vacaneis animum tuum affliges. Cuncta enim vanitati ſubjecta ſunt. Deum dilige, & intempore ejus diligendi initium fac, ut veram & æternam in eo

con-

consolationem invenias. Postquam multos labores exhauseris, ac mundanis cogitationibus te fatigaveris, tandem in omnes tui labores in tristitiam & moerorem desinent. Doce filium tuum, ut Deum revereatur, eique fideli & sincero cultu inserviat, & timor Domini in ipso accrescat, & incrementa sumat, dum in juventutis flore ad huc constituti teneramens cognitione divina facilius imbui potest. Eo enim pacto Deus se tibi maritum, & ipsi patrem præstabit, & quidem ejus modi maritum ac patrem, cujus nullo unquam tempore jacturam facturi estis, utpote qui vobis à nemine eripi potest.

Balo decem librarum millia, & Arian centum libras mihi debent: Iernsei quoque multa & gravia nomina in tabulis meis habet.

Pretiosissima Conjux, propter animam meam te rego & obtestor, ut post mortem meam tenuioris fortunæ hominibus, quæ debeo, solvas. Magna tibi procul dubio ab interpellaturis creditoribus molestia exhibebitur. Nemo non ea opinione imbutus est, me amplissimarum fortunarum possessorem divitiis maximis affluere. De omnibus rebus summa cura velim labores, & inprimis tibi à virilis sexus blanda insinuatione caveas, quandoquidem in hoc mundo nulla gravior hominibus miseria accidere potest, quàm si rapina evadant, ac posteà contemptui habeantur. Quæ loquor, eò non spectant, ut tibi ad secundas nuptias post decessum meum transire dissuadeam, cujus rei

Deus qui cogitationes meas cognitas, ac perſpectas habet, teſtis eſt. Conſultum potius tibi futurum cenſeo, ac coràm Deo & mundo honeſtius. Quantum ad me attinet, tu mea eſſe dèſinis, & ego tuus eſſe, deſiſto. Mors vinculum, quo ligati fuimus, derupit, diſcerpſit, & dilaceravit. Deus me à mundo & à te ſegregavit, & ſejunxit.

Memor eſto filioli mei, propter me patrem ſuum, qui te in ſtatu ſuo fortunatiſſimo & florentiſſimo amore ſummo proſequutus ſum. Vitæ meæ incolumitatem, & conſervationem ſumma animi contentione quæſivi, & precibus acquirere ſtudui: Sed Deus novit, me non niſi tuo & tuorum gratia illud feciſſe. Tuum enim infantem, chariſſima uxor, filium eſſe ſcito fidelis mariti, qui, quoad ſe, mortem ſuſque deque habuit.

Multa ſcribere non poſſum; Deo notum eſt, quam difficulter mihi tempus ſuppetat; Ipſum verò tempus etiam mihi aurem vellicat, ac me monet, ut à mundo omnibuſque rebus terrenis cogitationes meas abſtractas ad æternæ beatitudinis meditationem transferam. Corpus meum, quod vivum tibi denegatur, vita ſpoliatum poſtulato, & impetrare ſtudeto, ut juxta patris ac matris meæ ſepulchrum terræ mandetur. Nihil amplius dicere valeo. Tempus & mors me avocant. Æternus & Omnipotens Deus, qui ipſa bonitas, & vera lux ac vita eſt, te atque tuos incolumes ac ſalvos conſervet, mihi miſeri-

ſericordiam exhibeat. Chariſſima uxor vale. Deus filio meo benedicat. Precibus veſtris pro me apud Deum intercedite, qui vos ambos brachio ſui potenti complectatur, & tueatur.



ACTA CANTUARIENSEM EPISCOPUM ATTINENTIA, QUIBUS COMPREHENDUNTUR.

WILLEM LAUD Archiepiſcopum Cantuarienſem capite orbatum x. Ianuarii anno cIↄ Iↄc XLV: continet.

I. *CApita eorum, quorum accuſando reus eſt factus.*

II. *Reſponſio ejuſdem dictam accuſationem reſollens.*

III. *Auctuarium prioribus criminibus nova ſubjungens.*

IV. *Orationem Funebrem, & precationes binas, quos in theatro antè obitum recitavit.*

Capita

I.

Capita accuſationis inſtitutæ a communitatæ in Parlamento, qua WILLEM LAUD Cantuarienſis Epiſcopus Maximæ proditionis arceſſitus eſt.

1. Uod proditorio conatu Regni Angliæ leges totius ſtatus publici fulcra, fundamenta, & baſes, atque totam regiminis formam convellere, evertere, ac in Tirannicam, ſolique arbitrio omnibus legibus libero innitentem gubernationem mutare ſtuduerit, eaque de cauſa perfido & proditorio conſilio Regiam Majeſtatem docuerit, ipſi omnino licitum eſſe ſine Parlamenti ſui conſenſu ſubditis ſuis pecuniam extorquere, cum ejuſmodi actio Regia ex Lege Dei facilè confirmari & probari poſſit, ut ipſe referebat.

2. Ut autem proditorio ſuo conſilio effectui dando faciliorem & certiorem viam ſterneret,

neret, diversos sermones & dissertationes habuit, publicè concionatus est, imò typis excusas in lucem misit, quibus Parlamento authoritatem derogavit, Legum Anglicarum vires elevavit, ac absolutam, nullisque limitibus circum scriptam potestatem personis & bonis subditorum Regiæ Majestati subjectione vinculo submissorum imperantem in Regis, seipso, & aliorum Episcoporum aulis contra publicas leges defendit, & tutatus est. Magnus etiam Patronus, defensor, ac promotor eorum extitit, qui falsas, & noxias ejusmodi opiniones disseminarunt, & in lucem protraxerunt.

3. Literis, nunciis, minis, pollicitis, ac diversis aliis rationibus & modis, quibus judices, aliosque justitiæ ministros aggressus est, justitiæ cursum in Regiæ Majestatis, judiciis in Westmunster & alibi celebratis inhibuit, & interrupit, ac aliis quoque temporibus eorundem mediorum beneficio inhibere, & corrumpere conatus est, quod Regni hujus legibus magnum damnum intulit, ac universam abrogationem & eversionem resportendit. Unde factum est, ut plures. Majestatis Regię subditi justissimis suis causis ceciderint, & Tyrannico ejus arbitrio se submittere coacti in perniciem & interitum præcipites dati fuerint.

4. Quod nominatus Archiepiscopus turpiter, ac proditoriè iis justitiam vendiderit, quorum lites ad judicium ejus sub jurisdictionis Ecclesiasticæ, ac Archiepiscopi, Magni, Comis

missarii,

missarii, & aliorum titulorum ac nominum prætextu attractæ coram ipso decidendæ & sententia ejus definiendæ & dirimendæ agebantur. Quod munera & dona illegitima à Majestatis Regiæ Subditis acceperit, ac pro virili sua omnibus suis cogitationibus & laboribus in id unum incubuerit, ut alias etiam Iustitiæ in hoc regno sedes corruptionis veneno inficeret, atque idcirco Regiæ Majestati consilio suo autor fuerit, ut ejusmodi loca justitiæ destinata cum aliis officiis conjunctis venderentur, eorumque venditio contra statuta, & leges ea de re latas quovis pacto effectui daretur.

5 Proditorio ausu Canonum librum sine alicujus authoritatis aut mandati publici consensu & approbatione à se consarcinatum, ac typis exscriptum in vulgas sparsit, Canonesque à se constitutos effectum habere jussit. Continebant autem multa, quæ juri. Regis prærogativo, legibus Regni fundamentum sustinentibus, Parlamenti privilegiis, & constitutionibus, ac subditorum propriæ possessioni & libertati adversantur. Multa item, quæ rebellionum & seditionum periculosa irritamenta consequentiam periculosam secum trahunt, & immanis, illegitimæ, ac arrogantis potentiæ ab ipso ad successores derivandæ fundamenta locant. Plures ex canonibus istis in ultima Convocatione seu Conventu Archiepiscopi dicti machinationibus technisque subrepentibus sine ulla con-

fide

ſide ulla conſideratione, atque ullo examine admiſſi, & à Prælatis & Clericis tum temporis præſentibus metu & coactione preſſis ſubſcripti ſunt, cum tamen nunquam in Conventu ejus modi, qualis eſſe debuiſſet, nunquam admiſſi aut approbati fuiſſent. Porro dictus Archiepiſcopus unius canonum dictorum & obtruſorum opera illegitimam & æquitatis orbitam tranſeuntem potentiam, quam in Majeſtatis Regiæ ſubditos exercuit,& uſurpavit, aſtuto & impio juramento omnibus perſonis Eccleſiaſticis, & Laicis hujus Regni pluribus propoſito ſtabilire & firmare tentavit.

6. Quod Proditorie Pontificiam & Tyrannicam in Regiæ Majeſtatis ſubjectos poteſtatem tàm in Eccleſiaſticis quam Politicis aut Secularibus rebus per univerſum Angliæ regnum locaque alia ſibi ipſi arrogaverit,eoque pacto Coronam quaſi exhæredaverit, Majeſtatem Regiam ignominia affecerit, ſupremæque ſuæ in rebus ſpiritualibus authoritati ignominiæ maculam aſperſerit. Attribuit autem ſibi ac in Iuriſdictionem ſuam transfert dictus Archiepiſcopus Iuriſdictionem Eccleſiaſticam Regi competentem, atque Epiſcopali, & Archiepiſcopali ejus functioni ac muneri tantum accidentem, quam ab Angliæ Corona ad ſe derivatam audacter negat. Proinde eam pro lubitu exercens Regiam Majeſtatem ignominjoſa contumelia affecit, & diverſos ejuſdem Majeſtatis ſubditos fideles tam quoad perſoſonas, quam quoad bona & falcultates peſſundedit.

7. Quod perfidiosa proditione Regionem Dei veram, sanis legibus in hoc Regno stabilitam mutare, & exterminare, ejusque in locum Pontificiam superstitionem & Idololatriam substituere laboraverit. Ut autem voti compos evaderet, Orationibus, & libris impressis diversa Pontificiæ doctrinæ & opinionis capita constitutæ Religionis capitibus contraria & declaravit & defendit. Diversas item Pontificias ac superstitionis plenas ceremonias sine ulla ęquitatis aut juris probatione fortiter obtrusit, & mandavit, omnesque sibi obnitentes severa tam carceris quã corpori poena afflixit, & alios se accommodare recusantes censuris Ecclesiasticis, excommunicatione nimirum, functionum sacrarum inhibitione, Privatione, aliisque ejus farinæ poenis contra leges hujus Regni mulctavit.

8. Quò melius & facilius scopum propositum, ad quem collineabat, attingeret, magna illa potentia à Rege sibi concredita abusus falcèm in messem alienam misit, & diversorum magnis muneribus præfectorum loca occupavit, aliorumque Regis subditorum Ius invasit. Ea occasione jus nominationis & electionis diversarum personarum in Ecclesiasticis dignitatibus, promotionibus & beneficiis conferendis, quod ad Regem, diversos ex nobilibus & clericatu, ut & alios pertinebat, sui juris atque arbitrii fecit, & commendationem Capellanorum ad Regem directam in suum commodum transtulit, & ad se pertraxit, adeo ut authoritate hac malè usurpata magni momenti muneribus

ribus Ecclesiasticis ejusmodi homines præfecerit, qui vel Pontificia superstitione inquinati erant vel doctrinam haud sanam profitentes vitam pietati veræ non congruam sed planè corruptam & perversis moribus maculatam degebant.

9. Proditorium & impium suum propositum promovendi causa ejusmodi homines sibi Capellanos adscivit, quos à Religione Reformatâ planè alienos, & Pontificiis superstitionibus maxime ditos, aut hæreticis opinionibus imbutos esse, & nec doctrinam sanam profiteri, nec vitam Christianis veris dignam degere probè noverat. His, aut ex ipsis quibusdam librorum censuram ac eosdem imprimendi facultatem concessit, ex quo fonte plures falsa doctrina, & superstitionibus multis repleti libri magno Religionis veræ scandalo in vulgus manarunt.

10. Molimine proditorio & impio Angliæ Ecclesiam cum Romanâ in gratiam reducere allaboravit, ejusque propositi consequendi causa cum sacerdotibus Pontificiis & Jesuitis familiaritatem contraxit, ac clandestina consiliorum communicatione cum Pontifice Romano collusit. Ac non solum ipse, verum etiam per suos procuratores, & negotiorum suorum curatores cum iis, qui authoritate Pontificia instructi Româ in Angliam advenerant, consilia clandestina capiebat. Permisit, facultatemque dedit, ut in hoc Regno Pontificia Hierarchiâ, sive Ecclesiasticum regimen instituere tur. Omnibus his machinationibus Proditoriis & impiis Ecclesiam

ſiam Regnumque hoc maximo & extremo diſcrimini expoſuit, ac Pontificiam Tyrannidem ſubeundi periculum adire coëgit.

11. Non ſolum ipſe, verumetiam Suffraganei, Vicarii, Viſitatores, Cancellarii, aliiſque muneribus Eccleſiaſticis præfecti ipſius nomine & mandato pluribus doctis, piis, & verbi divini præconibus ſanis ſilentium imperarunt, ex functionibus ſuis eos exterminarunt, obeundi muneris facultate ad tempus ſuperſedere juſſerunt, de dignitatum gradibus deturbarunt, excommunicarunt, aut alliis anxietatibus & moleſtiis contra jus & fas afflixerunt, atque oppreſſerunt. Variis itaque mediis Verbi Divini præconio & annunciationi remoras obiiciens eo negotium totum deduxit, ut pluribus ex Majeſtatis Regiæ ſubditis fidelibus Regno excedere coacti fuerint, ac inſcitia, impietas, & profanitas populi blanditiis & conniventia, ejus ſuſtentatæ majora incrementa ſumſerint. Omnia eo ſpectabant, ut faciliorem ſibi aditum ad proditoriè & impiè propoſitam veræ Religionis mutationem, & corruptionem pararet.

12. Proditionis non minima pars fuit, quod diſcordiâ & ſimultate ſeminatâ Anglicanam ab aliis Eccleſiis Reformatis ſe jungere molitus ſit. Teſtes ſunt Gallorum, & Belgarum in hoc Regno coetus Reformati, quos privilegiis & immunitatibus à Regiâ Majeſtate ejuſque, anteceſſoribus conceſſis ſpoliavit, variiſque modis oppreſſit, animumque ſuum malevolum, &

dictis Ecclesiis offensum pluribus actionibus malis patefecit, ut ejusmodi discordia illis dilaceratis & distractis Pontificii utramque partem opprimendi, & funditus delendi promptiorem & faciliorem occasionem nanciscerentur.

13. Malitiosis & proditoriis suis consiliis bello & inimicitiæ inter Regiæ Majestatis regna duo Angliam, & Scotiam excitandæ summam operam navavit, promovendique propositi sui causâ in Scotiæ Regno diversis novitatibus, quæ si non omnes, plæræque tamen Pontificiam Superstitionem olebant, introducendis Religionem juxtà atque Regimen turbavit; quod Majestatis Regiæ subditos in Regno illo vitam degentes, remque hanc iniquissimam molestissimè ferentes admodum malè habuit. Idcircò iis ejusmodi novitates admittere recusantibus,ac se strenuè opponentibus Regiæ Majestati perfido consilio suggessit, ut armata manu eos ad oboedientiam suam revocaret, armorumque vi contumaciam eorum coërceret. Propria quoque potentia & authoritate legibus susque deque habitis effecit, ut ad bellum istud pecuniarias suppetias quidam Subditorum conferrent, ac Clerum seu Ordinem Regis Ecclesiasticum ad nummos eidem negotio bellico subministrandos coegit. Imò cum sapientissima actione Rex inter Duo Regna pacem constituisset, ac tumultus periculosissimos sopivisset, audacter admodum pacificam Regis actionem tanquam Majestate ejus indignam, minusque ei honori-

honorificam redarguit, culpavit, atque ſtimulis iniquiſſimis Regiam Majeſtatem ad bellum cum ſubditis ſuis Scotiæ Regnum inhabitantibus gerendum impulit, adeò ut tandem Archiepiſcopi dicti conſilio impulſus & incitatus Rex arma oppugnantia in manus ſumſerit, ac maximo tam propriæ ſuæ perſonæ, quam utriuſque Regni ſubditorum periculo minime neceſſario bello ſe implicaverit.

14. Metuens autem, ne omnes dictæ & aliæ plures preditoriæ machinationes & technæ inveſtigatione aliqua palàm fierent, & examini ſubjicerentur, prævenire quam præveniri ſatius exſtimavit aſtutaque & callida cautione rebus ſuis ſe proſpicere conatus eſt, dum Parlamentorum privilegia, & jura convellere, ac veterem eorum procedendi & agendi modum ac rationem tollere, falſiſque & malitioſis calumniis Parlamenta in Majeſtatis Regiæ odium adducere nitebatur.

Cunctis his verbis, conſiliis, & factis juris jurandi ſui, quo fidelitatem ſuam Regiæ Majeſtati ac Regno devinxit, fines proditorie transgreſſus ſummo ſtudio in id unum incubuit, ut ſubditorum animos à Rege ſuo abalienaret, utroſque maximis diſſidiorum ardoribus incenderet, ac Regna hæc florentiſſima ex fortunatiſſimo ſtatu in exitium, & perniciem deturbaret. Qua de causâ perduellionis & proditionis ſummæ in Regem, coronam, atque dignitatem ejus commiſſæ ipſum jure accuſant.

Commemorata Parlamenti Communitas porrò manifeſtum facit, quod dictus William Laud Cantuariæ Archiepiſcopus eo tempore, quo enarratas proditiones fabricatus eſt, & noxas ac ſcelera iſta commiſit, Epiſcopi ſeu Archiepiſcopi in Anglia officio functus ſit, unus ex Regiis Commiſſariis rebus Eccleſiæ præfectis fuerit, in Regiæ Majeſtatis Conſilio arcano Senatoris munus obierit, ac jurejurando, ſe eodem munere fideliter functurum, ſanctè affirmaverit, Superioritatiſque etiam & fidelitatis juramentum præſtiterit.

Eadem Communitas conteſtata denunciatione præmiſsâ (ſibi tamen quovis alio tempore impoſterum accuſationis alicujus contrà nominatum Archiepiſcopum inſtituendæ, ad reſponſiones ab eodem contra accuſationis capita omnia, aut eorum quædam illatas exceptionum iterandarum, amplioribuſque teſtimoniis antedictorum omnium, aut quorundam confirmandorum, prout cauſa ſecundum Parlamenti conſuetudinem illud poſtulaverit, facultatem, ac libertatem reſervans) precatur, & requirit, ut nominatus Archiepiſcopus coram judicio conſtitutus ad omni & ſingula capita præmiſſa reſpondeat, & quoad unumquodque ipſorum proceſſus, examen, inquiſitio, & judicium tale obſervetur, & uſurpetur, quale jus & juſtitia requirent.

Præfata item Communitas conteſtationibus prius denunciatis (Omnia tamen alio tempore futuro alicujus alius dicto Epiſcopo intendendæ accuſa-

accuſationis, ipſiuſque reſponſiones ad omnia capita, vel eorum aliqua datas refellentium replicarum, ac pluribus teſtimoniis omnium & ſingulorum, aut nonnullorum ex propoſitis capitibus ſtabiliendorum, aut alius alicujus inſimulationis & actionis ex Parlamenti more conſueto inſtitutæ documentis & teſtimoniis certis aſſerendæ copiam & poteſtatem excipiens) petit & poſtulat, ut præfatus William Laud Cantuariæ Archiepiſcopus quàm citiſſimè coràm judicio ſiſtatur, ut omnibus & ſingulis ante poſitis capitibus reſponſionem ſuam ſubjiciat, & in ſingulorum excuſſione proceſſus, examen, firmatio, & judicium tale adhibeatur, quale juris ac juſtitiæ ratio præſcribet, ac definiet.

II.

ARCHIEPISCOPI

Reſponſio Præcedentis accuſationis capita refellens.

1. DOmini Mei; A Vobis accuſor, quod Senatorio munere in arcano Regis conſilio fungens Leges Regni cardinales evertere, ac ipſum Gubernationem formâ novâ induere voluerim. Hoc me tentaſſe nego. Regni leges mutari quidem poſſe, ut Populus legibus civi-

lioribus & mandatis magis politicis gubernari queat, me dixiſſe non inficior.

Verum etiam eſt, quod Regem non nullas etiam leges ferre dixerim. Probè noſtis Reges poſt Deum in terris Gubernatores, & Regnatores eſſe, ac propter peculiares cauſas neceſſitate ita poſtulante leges latas abrogandi & tollendi poteſtatem habere.

II. Vos, Mei Domini, neutiquam fugit, quam abſoluta, & illimitata Archiepiſcoporum inter præcipua Regni membra: relatorum in rebus Eccleſiam concernentibus poteſtas ſemper fuerit; Superior enim domus Parlamenti authoritatem, & poteſtatem neutiquam diminuere poteſt. Quantum ad libros in Eccleſiaſtici ſtatus commodum divulgatos, eorumque cenſuram attinet, iis non ſine ratione patrocinatus ſum. Libellorum enim famoſorum ſcriptoribus reſiſtere volui.

III. Quod ſententias injuſtas pronunciandi causâ judices quoſdam pecunia corruperim, planè diffiteor. Vectigal navibus impoſitum tributum fuit Regium, quod populo vi non obtruſi. In Regis enim Politia & Iuriſdictione conſiſtebat.

IV. De muneribus acceptis, quorum inſimulatione me oneratis, mihi nihil conſtat; teſtimoniis ejuſmodi facti me convincatis oportet. Execrationem cervici meæ accerſiviſſem, ſupplicioque merito dignus eſſem, ſi tale quid commiſiſſem.

V. Accuſatis Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ redin-

redintegrationem à me institutam, Classium nimirum convocationes, concionatorum ordinationes, prelatorum institutiones & Ecclesiasticæ disciplinæ legumque spiritualium constitutiones, Quæ omnia officii & Authoritatis meæ, ac hujus Regni statutorum ratione mihi competunt, atque communi episcoporum & classium consilio & approbatione gesta sunt.

VI. Insimulationem vestram, qua me in hominibus non nullis morti tradendis potentia mea usum esse affirmatis, nullo testimonio firmabitis. Nam quæcunque in ejusmodi negotiis gesta sunt in actionibus nimirum contrà D. Bastwyck, M. Burtun, & M. Prim, ea secundum communem Magno Iudicio delegatem Iurisdictionis consuetudinem acta sunt.

VII. Crimina minime, Nobilissimi Domini, quod perversis machinationibus Religionem Reformatam veram, orthodoxam, & in Regno hoc stabilitam evertere conatus sim; Veruntamen nullis argumentis hoc verum esse confirmari poterit, perinde atque illud quod Pontificias ceremonias ullas introduxerim. Morte innocentiam meam lubens ac promptus testificabor. Pias ceremonias me ordinasse, ut vulgò ad majorem animi pietatem cultumque Dei sinceriorem, & puriorem incitamento essent, haud inficior.

VIII. Obiicitis mihi, nobilissimi Domini,

quod illicitis mediis ad illud maximè incubuerim, ut in nominandis & eligendis concionatoribus uterer; Rem ità se habere equidem inficior, & non nisi illud verum esse concedo, quod in concionatoribus ad munera Ecclesiastica promovendis semper eorum potissimam rationem habuerim, quos doctrinæ orthodoxæ sana cognitione imbutos, & maledicentiæ veneno non infectos ad ejusmodi functiones idoneos judicabam; atque tales idcirco ipsis Capellanos subjunxerim, quorum capacitas mihi probè perspecta & cognita erat.

IX. Nonum hoc caput responsione indignum est.

X. Crimen, quod cum Romana Ecclesia in concordiam redire, ejusque rei promovendæ causa Iesuitæ alicujus, operam adhibuerim, in me cadere nullis unquam argumentis, aut testimoniis docebitis. Contrarium evincam, qui Reformatæ Religionis cultor in vita semper fui, eamque morte mea obsignabo. Cum Potificis Romani Nuncio Apostolico sermones me miscuisse non nego, sed tales habuisse dico qui nostræ & Romanæ Religionis differentiam & certitudinem concernunt.

XI. Concionatorum quorundam à muneribus suis remotionem oppressionem interpretamini. Homines inquieti obeam causam functione sua cedere jussi, quod diffidia & turbas in vulgus disseminarint, contra me stringentes libellos famosos in publicum ediderint, ac in concionibus suis statum & ordinem nostram

Theonino

Theonino Dente roserint. Hinc occasio nota est, ut publice Sententiæ pronunciatione muneribus suis renunciare coacti sint.

XII. Gallicas & Belgicas Ecclesias oppressione à me divexatas asseritis, sed non probatis.

XIII. Belli Scotici culpam in me confertis, quasi Vos & Regem persuasionibus meis ad illud excitaverim & de omnibus subsidiis ad illud Scotis inferendum necessariis, ut compararentur, maxime laboraverim. E contrario sanctè affirmare possum, me nullam planè operam in bello aliquo suscitando colocavisse, & Ecclesiasticam juxtâ atque Politicam structuram sub regimine meo gratissima pacis harmoniâ semper conspirasse, omnemque sanguinis profusionem detestatam fuisse. Quod Scotiam disciplinâ Ecclesiasticâ exornandi avidus fuerim, exanimi mei contentione seriâ, & bono Ecclesiastico studente profectum est. Actionum Pacis constituendæ causa susceptarum dissolutionem mihi falsò imputatur: Quibus mediis & quorum opera effectui data sit, Vos probè novistis.

XIV. Obnixè à vobis peto & contendo, Nobilissimi Domini, ne harum rerum onere me gravetis; Deum atque homines testes interpono, conscientiæque meæ testimonio accedente affirmo, & rem totam morte obsigno, me cunctis meis actionibus & factis nil aliud molitum esse, quàm ut Regis mei Serenissimi honorem, quantum in me fuit, tuerer, com-

modum Regni publicum quærerem, & quibusdam iniquis agendi rationibus obviam irem. Tales sunt Obligationum accumalatio, & aliorum judiciorum legitimorum contemptus, perinde ac si nullibi æquè ac in Parlamento justitia administrari posset. Si Majestatem Regiam incitamentis meis ad bellum suscipiendum propulissem, crimen ingens perpetrassem, ac Regni hujus saluti & incolumitati impedimento fuissem. Sed eâ culpa me vacare, atque iniquè mihi imputari expresse assevero, quod fidelium subditorum animos à Rege suo dissociaverim. Nihil profecto mihi prius & antiquius est, quam precibus ferventibus Deum Opt. Max. Solicitare, ut gratiam ac pacem suam toti huic Regno largiatur, quò Regis & subditorum animi ex optatissima conjunctione coalescant, & innocentis sanguinis effusio larga tandem finiatur.

III.

III.

AUCTUARIUM

Accuſationis a communitate Parlamenti contra William Laud cantuarienſem archiepiſcopum inſtitutæ, qua perduellionis aut ſummæ proditionis, aliorumque criminum magnorum poſtulatur.

I. DIctus Archiepiſcopus Cantuarienſis Regimen in Regentis arbitrio & lubitu conſiſtens in hoc Regnum introducendi & Parlamenta aut Comitia Regni Publica tollendi gratia, cum præſens Rex Sereniſſimus jam tertium & quartum annum gubernationi Regię præeſſet, malitioſis & proditoriis ſuis conſiliis Parlamentum convocatum Comitiaque publicè in Weſtmunſtero celebrata diſturbaverit, & re infecta diſcedere coegit, quod & Majeſtatis Regiæ ſubditos peſſime habuit, & Publicum ſtatum haud exiguo damno affecit. Voti compos factus diverſas propoſitiones manu ſua propria conſignatas Georgio Buckingamiæ tunç temporis Duci tradidit, quibus Parlamento præfato plures falſas calumnias impoſuit, quaſi magnâ Regem ignominâ affeciſſet, & perinde ac puerum in minoribus ſuis annis adhuc verſantem tractaviſſent. Imò Parlamenti aſſeſſores reliquoſ-

reliquosque Regiæ Majestati fideles subditos Puritanorum nomine insignivit Pontificios veros vero innocentum, & pacificorum subjectorum titulo cohonestavit.

II. Superiori decennio proximo idem Archiepiscopus perfido conatu in id unum incubuit, ut leges hujus regni fundamenta præcipua non modo labefaceret, sed plane enervaret, ac in nihilum redigeret; E contrario autem potissimam operum navavit, ut Consilii Regii potestas, canonum Ecclesiasticorum authoritas Regisque Ius prærogativum Regni legibus & statutis superiora evaderent. Veritati hæc congruere argumento est, quod antè sexennium, cum Regi a Consiliis secretis esset, in collegarum consessu apertè dixerit; Tamdiu Sententiam aliquam ibidictam, aut decretum aliquod eodem in loco definitum parem cum Parlamenti legibus & actis vigorem & protestatem habiturum, quamdiu ejusdem consilii ipsi assessor futurus esset. Alio vero tempore in hæc verba erupit; Sperare se trevissimo temporis spacio Ecclesiæ Canonos, Regisque prærogativam cum Parlamenti actis & decretis paria facturam esse. Item aliâ vice; Se eos, qui Regis potentiæ se opposituros essent, confracturum, & concussurum.

III. Ut idem Archiepiscopus Ecclesiæ Canones & statuta, Ecclesiasticamque, potentiam supra Regni leges extolleret, Iustitiæque cursum distorqueret, & inhiberet, pluribus vicibus eodem temporis spacio literis ad Judices datis,

datis, aliisque mediis & solicitationibus illicitis, quibus iisdem importunus fuit, Regiæ Majestatis concessionem seu privilegium prohibitionis literas indulgens justitiæ opposuit, eamque impedivit, cum tamen ejusmodi privilegium seu literæ in hibitoriæ potius ad perversam agendi rationem, quæ in Ecclesiastico judicio solennis & usitata erat, impediendam adhibendæ fuissent. Hac enim agendi ratione justitia dilationibus variis impedita, & judicibus in muneris sui functione obeunda obstaculum objectum est.

IV. Cum Septennio superiore ferè elapso in Majestatis Regiæ judicio Regis scamno appellato contra Parochum quendam Burley nomine profligatæ vitæ & famæ hominem post explorationem statuti 21. Hen. 8. de Petulanti Non residentia vigore factam sententia pronunciata esset, Archiepiscopus præfatus ad scopum suprapositum attingendum petitionibus suis, aliisque mediis legitimis ejusdem Iudicii Iudices adortus dictæ sententiæ executioni impedimento fuit. Eo de facto interrogatus, & de Parochi ratione vivendi inhonesta & Christiano homine indigna edoctus, se, inquit, apud Judices pro ipso respondisse; Nunquam verò se toleraturum, ut Eccesiastica aliqua persona apud Nihil dicit, sententia aliqua condemnetur.

V. Quò etiam eandem, cujus mentio facta est, metam contingeret, ante octennium circiter, cum in eadem Consialiarii Regii functione versa-

verſaretur, machinationibus ſuis effecit, ut Sir Thon Corbet de Stoake in Comitatu de Salop Baronnet, ejuſdem comitatus tunc temporis Iudex provincialis in carcerem de Fliet cognominatum conjectus, atque ibidem dimidium annum, & quod excurrit detentus fuerit. Cauſa facto nulla alia prætendi poteſt. Quam quod coràm dicti comitatus judicio Iuris Petitionem poſtulaverit, & propter æquas & neceſſarias cauſas prælegendam curaverit. Interea verò dum carceris cuſtodiâ ſeptús eſſet, dictus Archiepiſcopus literis Archiepiſcopali ſigillo conſignatis agri ad loci Adderley in eodem comitatu ſiti templum, cujus præfatus Corbet Patronus erat, pertinentis partem Roberto Vicecomiti Kilmarry ſine dicti Corbet aut eorum, qui nominato templo præfuerant conſenſu propriam conceſſit; Qui Kilmarry in eadem agri parte ſacellum magno dicti Iohannis Corbeti damno extruxit; unde magnæ & longe inter utrumque lites natæ, & grandes ſimultates exortæ ſunt. Et quamvis præfatus Dominus Iohannes Corbet contrà Equitem auratum. Iames Stonehouſe in litis deciſione Waſte locum concernente coram Regio Iudicio in Weſtmunſter communes lites decidente Sententententiam, quæ poſteà per literas Erroris in Regis Iudicio affirmabatur, obtinuerit; Nullum tamen ex eâ fructum Archiepiſco impediente conſequi potuit, ſed ab Archiepiſcopo cæteriſque ejus conſilii membris aliis in carcerem conjicie-

ſciebatur, atque tamdiu detinebatur, donec dicti Conſilii mandato pareret. Hoc pacto ſententiæ dictæ beneficio & fructu excidit.

VI. Quæ munera & donationes tam pecunia, quàm bonis conſtantes ſuperioribus temporibus à diverſis hominibus cultui divino addictis & charitate ac pietate motis ad coemendas proprietates, & divini Verbi prædicationem in diverſis templis eccleſias fovendam contulerunt; Eas præfatus Archiepiſcopus octennio proximè elapſo petulanter & malitiosè ab uſu deſtinato removit, & ad Majeſtatis Regiæ aulicam uſurpationem tranſtulit. Quæ actio legibus repugnat, & Eccleſiæ pariter ac Regno periculum haud exignum creat, quandoquidem ſub Proprietatum coemendarum prætextu opus hoc charitatis grande magna. Divini Nominis & Eccleſiæ ignominiâ opprimitur, & quaſi pedibus conculcatur.

VII. Decennii proximi intervallo dictus Archiepiſcopus in Weſtmunſter & aliis hujus Regni locis nulla legum contrariarum & ſibi adverſantium habita ratione Pontificiam ſuperſtitionem huic. Regno obtrudendi occaſiones omnes ſummâ contentione aucupatus eſt, ejuſque propoſiti ſcopi conſequendi cauſa ſtudio & de induſtria diverſos Sacerdotes Pontificios, & Ieſuitas humaniter accepit, hoſpitio excepit, & alimentis neceſſariis ſuſtentavit. Inter eos fuit quidam Sancte Clare,

alias

alias Damport nomine, qui Franciſcani ordinis monachus pontificiam, & nil niſi ſeditiones ſpirantem librum, qui ſub tituloDeus, Gratia, & Natura trigeſimum nonum, & decreto Parlamenti Confirmatum articulum de Eccleſia Anglicana vehementibus calumniis,& conviтiis proſcindit,Conſcripſit,ac divulgavit. Deum autem hominem operis hujus ſcriptio diſtri-ctum, atque occupatum teneret; cum ipſo diverſa colloquia Archiepiſcopo interceſsêre. Domino quoque cuidam Pontificiò S[r].Gillis nominato, & ſacerdotio fungenti, alimenta neceſſaria ſubminiſtavit, quamvis ſciret, Religioni Pontificiæ addictiſſimum eſſe.

VIII. Archiepiſcopus idem annorum quatuor interſtitio ferè præterito in Weſtmunſter aperte effatus eſt; Eccleſiæ tantum ictum infligendum eſſe, quantum unquam antehac accepit, antequam ad conformitatem & concordiam reducatur. Addidit etiam, ſe ſumme contentione unicæ huic rei intentum eſſe, ut Anglicanam Eccleſiam mutatione ſumma in vertere poſſet.

IX. Circa Majum, & eodem ipſo menſe anni quadrageſimi primi ſuprà milleſimum ſexcenteſimum, poſtquam ultimum Parlamentum reinfecta dimiſſum erat, finem deſtinatum, & modò indicatum conſequendi cauſa particularem Synodum, aut Eccleſiaſticarum perſonarum congregationem in provinciis Cantuarienſi & Eboracenſi celebravit, ubi ipſius inſtinctu diverſi Canones, & Conſtitutiones Eccleſiaſticæ

ſiaſticæ hujus Regni legibus, Parlamenti juribus & privilegiis, & ſubditorum proprietatibus & libertatibus ex diametro adverſantes, maloque eventui conjunctæ ad ſeditiones ſimultates que ſuſcitandas aptiſſimæ fabricatæ & admiſſæ ſunt. Inter alia dictus Archiepiſcopus effecit, ut ibidem valde periculoſum, & legibus repugnans jus jurandum conceptum, & ſequentibus verbis propoſitum fuerit.

Ego A. B. jurejurando fidem firmo, quod Doctrinam, & Diſciplinam ſeu Regimen Eccleſiæ Anglicanæ omnia ad ſalutem neceſſaria complectentem approbem, nec vel ipſe, nec per alios ſive apertè ſive occultè pontificiam aliquam doctrinam illi, quæ conſtituta & approbata eſt, contrariam introducere, nec etiam conſenſu meo Regiminis hujus Eccleſiæ per Archiepiſcopos, Epiſcopos, Decanos, & Archidiaconos etc. adminiſtrati, pro ut jam conſiſtit, & conſiſtere debet, mutationem probare, nec ullo unquam tempore illud Sedis Romanæ uſurpationi & ſuperſtitionibus ſubiicere velim. Omnia hæc fateor & juro ſimplici & ſincero animo ſecundum ſimplicem & communem verborum præpoſitorum ſenſum, & intellectum ſine ulla æquivocatione, aut mentis effugio & prætextu, vel ſecreta reſervatione, ſive exceptione, qualiſcunque illa eſſe poſſit. Et hoc ex animo atque ſponte, integroque animo & ex fide Chriſtiano homine digna facio. Ita me Deus per Ieſum Chriſtum amet. Ad jus jurandum hoc præſtandum diverſos Eccleſiæ miniſtros

ſtros Archiepiſcopus nominatus non ſolum ip-ſe, ſed etiam per alios muneris ad tempus in hibiti, & privationis alimentorum poena, aliarumque multarum minitationibus coëgit. Ac quoniam Godofredus Gloceſtriæ Epiſcopus dictorum Canonum ſubſcriptionem juramentumque propoſitum eludere conabatur, captivitate denegationem ſuam tamdiu redimebat, donec Archiepiſcopi poſtulatis ſubſcriptione & juramento ſatis faciens priſtinam libertatem recuperaret.

X. Paulò antè ultimi Parlamenti convocationem Anno 1640. factam, cum in Regio Senatu, conſilium Archiepiſcopo ſuggerente, ſuffragiis communibus Regiæ Majeſtati extraordinariis mediis & nummis ſuppetias ferre decretum eſſet, ſi ordinarias ſuppetias Regiæ Majeſtati Parlamentum denegaturum eſſet, malitioſe & impiè præfatus Archiepiſcopus Regiæ Majeſtati conſuluit, ut Parlamentum dimitteret. Quo facto mox Regi dixit, Ipſum jam omnibus Gubernationibus regulis & legibus ſolutum & liberatum extraordinariorum mediorum opera jam uti poſſe.

Omnium harum rerum occaſione prædicta Communitas in Parlamento congregata non ſolum ſuo ſed etiam totius populi Anglici nomine nominatum Cantuariæ Epiſcopum perduellionis, ſummæ proditionis, aliorumque criminum & maleficiorum ad noſtræ Religionis, legum, & libertatum everſionem, &

Eccleſiæ

Ecclesiæ ac ſtatus hujus Politici internecionem tendentium poſtulat.

Præfata itaque Communitas (quocunque tamen tempore futuro ulterioris aut alius poſtulationis contrà dictum William Laud Archiepiſcopum Cantuarienſem faciendæ, & ad ejusdem reſponſiones ad capita accuſationis præfata omnia, aut eorum quædam datas reſponſi iterandi, aut teſtimonii quo præmiſſa ſtabilienda, afferendi, vel cujusvis inſimulationis neceſſitate urgente pro Parlamenti more inſtituendæ copiam & facultatem Exceptione conteſtata ſibi reſervans) orat, & poſtulat, ut dictus William Laud Cantuarienſis Epiſcopus vocatus ad Crimina reſpondeat, & talem poenam accipiat, qualem promeritus fuerit; ac in uniuſcujuſque articuli exploratione ejuſmodi actionum ratio ac modus adhibeatur, quem juſtitiæ & juris conditio ſubminiſtrabit.

IV.

CONCIO FUNEBRIS
Archiepiſcopi cantuarienſis, quam in theatro, antequam ultimum de eo ſupplicium ſumeretur, habuit.

CHari homines

Memoriæ meæ ſenio confectæ condonabitis, mihique in tam triſti rerum ſtatu, in quo miſer conſtitutus huc proceſſi, veniam concedetis: ut ſchedularum mearum, ſine quibus reminiſcentiæ meæ vix confido, operâ memoriæ imbecillitati ſubvenire queam.

Chari homines.

Quamvis locus hic ad concionandum triſtiſſimus ſit, in eo tamen verſum 1. & 2. capitis duodecimi ad Hebreos in præſentia veſtra tractato.

Propoſitum nobis ſtadium decurramus; Intuentes in fidei ducem, ac perfectorem Ieſum, qui pro ſibi propoſito gaudio pertulit crucem, ignominiâ contempta, & ad dexteram throni Dei conſedit.

Stadium mihi propoſitum decurrendo magnam temporis intercapedinem transmiſi; Quo verò pacto in fidei mei ducem & perfectorem Ieſum

Iesum fiduciæ meæ oculos converterim, probè ipsi innotuit. Iam vitæ meæ curriculo finito ad metam perveni. Hic crucem, turpissimam nimirum mortem invenio. Ignominia tamen susque deque habenda, aut ad dextram Dei transitus non datur. Mei causa Iesus ignominiam contemptui habuit. Vt ego infamiam propter ipsum non despiciam; Deus avertat. Recto tramite & cursu, ut videtis, in mare rubrum proficiscor, pedesque mei jam in ejus litore consistunt. Hæc res mihi argumento est, quod Deus, ut spero, ex hac vita caduca me propediem in Terram promissam traducturus sit. Hæc enim via est, per quam olim populum suum in terram Canaan deduxit. Ante verò quam ad mare iter facerent, paschatos festum ipsos celebrare jussit, quo tempore agnus Paschalis cum amaris herbis comedendus erat, ut ex duodecimo Exodi capite patet.

Patiente animo cruci huic me submittam, &, ut amaras herbas æque atque agnum concoquam, operam dabo mihi in memoriam revocans, quod Domini transitus sit. Herbarum planè obliviscar, ut & eorum manus quæ easdem collegerunt, ac illum solum intuebor, qui unum instituit, & alterum gubernavit. Plus enim potestatis in me homines non habent, quam quantum ipsis à Deo concessum est. Hic omnes hominum potestates limitibus certis circum scribit. Hoc par mare rubrum transitu minimè delector, utpote qui fragili & caducâ carne & sanguine vestitus, atque Servatoris mei doctrinam

& exemplum imitans precatus ſum, ut calix iſte tranſiret, & poculum rubri vini hoc à me auferretur. Verùm quoniam fieri non poteſt, ut voluntas mea expleatur, ipſius voluntas fiat, neceſſe eſt, ſpontaneo ac lubenti animo calicem eòuſque bibendo exhauriam, quòuſque ex mandato ejus mihi ebibendus erit, ac ingrediar in mare hoc, illudque eâ ratione tranſibo, qua me per illud deducere ipſi placebit.

Nihilominus, chari homines, conſideratione dignum eſt, cum Divinæ Majeſtatis miniſtri veteres nimirum Iſraelitæ cum Aarone in mari hoc fero verſarentur, quod Ægyptii ſummo animorum irâ efferatorum ardore ipſos perſequentes iiſdem in aquis mortem oppetierint, & ſubmerſi ſint, in quibus illos perſequebantur. Novi, Deum, cui inſervio, ea potentia pollere, qua me ex hoc ſanguinis mari eripere poteſt, quemadmodum tres adoleſcentes ex fornace ardente liberavit, ut apud Danielem capite tertio legere eſt.

Servatori meo humilibus precibus gratias ago, quod voluntatis meæ decreto cum ipſis plane conveniam. Se enim imaginem, quam Rex erigendam dederat, non adoraturos firmiter ſtatuerant; Eodem etiam pacto imaginationes à Populo ſuſcitatas ego non adorabo, nec templum, veritatemque Dei deſeram, ut vitulorũ Ieroboami mugitus in Dan & Bethel ſequar.

Deum oro, ut toti huic Populo benedicat, eique oculos patefaciat, quò veritatis tramitem cernere & ingredi poſſit. Nam quando coecus

coecum

coecum ducit,uterque in foveam incidet.Quantum ad me ipſum attinet,ſumma animi ſubmiſſione, & humilitate confiteor, quod maximus peccator cogitationibus, verbis,& factis Deum Dominum meum variè offenderim: at propterea animum meum nulla dubitatio ſubit, quin & gratiæ ac miſericordiæ abundantiam & plenitudinem æquè atque alii peccatores apud ipſum inveniam. In triſtiſſimis his vitæ meæ anxietatibus omnes cordis mei angulos & latebras excuſſi,& tamen nullum peccatorum meorum, quibus commaculatus ſum, ullam Regni hujus legem notam ita lædere comperi, ut mortem meruiſſe videatur. Nulli vero judicum meorum culpam imputare eoſque aliqua iniquitate onerare cupio; Humilima petitione obſecro, ut recto & ſano ſenſu verba mea percipiantur; Ne minimum quidem judicibus meis adſcribo, utpote quibus in judicando fide dignorum teſtium teſtimonio parendum eſt. Hoc pacto ego & alii in hoc mundo innocentes juſtè tamen condemnari poſſumus. Quanquam ſententiæ onere vehementer premor, Deo tamen gratiam habeo quod in animâ meâ per Chriſti gratiam tranquillitatem tantam hâc vice ſentiam, quantam nunquam in vitâ meâ percepi. Sum quidem primus inter Archiepiſcopos, qui hoc ſupplicii genere vitam finio; ſed aliquot meorum anteceſſorum eandem viam quoque ambulaverunt, alio tamen mortis genere vita orbati. Elfegus ablatus inter Danos caput amiſit; Simon Sudburry in tumultu à Wat Tyler & ſociis

excitato periit; Multo antè S. Iohannes Baptista meretriculæ mundanis voluptatibus deditæ saltationibus capitis jacturam acceptam fert; Sanctus Cyprianus Carthaginensis Archiepiscopus per sequentium hostium gladio jugulum subiicere coactus est.

Magna hæc & salutaria exempla patientiam me docent, qui certam spem concepi, rerum mearum faciem in coelo longè aliam quàm interris futuram. Solatium aliquod mihi affert, quod non modo eandem cum magnis istis viris viam ingrediar, verum etiam ea (liceat hæc mihi sine præjudicio alicujus dicere) quæ mihi imposita sunt, aliquam cum jis similitudinem habeant, quorum Sanctus Paulus Actorum 15. in simulatus est. Ipsum & enim contrà legem, & templum, id est legem & Religionem peccasse asserebant. Idem S. Stephano usu venisse Actorum 6. legimus. Convitiati enim sunt virum Sanctum, quod leges à Mose datas, idest legem & Religionem abolere voluerit. Obiiciat aliquis, Num te igitur S. Petri, &S. Stephani justitiæ æquiparabis? Deus hoc avertat; absit ut ejusmodi quid cogitationibus concipiam. Consolationem tantum capio ex iis, quæ magnis his, & sanctimoniâ celeberrimis viris, Deique ministris suo tempore evenerunt. Notatu quoque dignum, atque cumprimis memorabile est, quod S. Paulus non modò unus eorum, qui Sanctum Stephanum accusationibus suis cruciarunt, verum etiam ex præcipuis unus eadem insimulatione postea gravatus fuerit, &

rit, & uterque tanta ſanctimoniæ celebritate claruerit. Verum magnus forſan rumor de me diſſeminatus eſt, quod Pontificiam doctrinam in hoc Regno reſuſcitare conatus fuerim: Huic objectioni mox ampliore reſponſione ſatisfaciam. Interea probè noſtis, quid Phariſæi Chriſto Ioh. 11. dixerint: Si omittamus eum ità, omnes ei credent; venientque Romani & delebunt tum locum noſtrum, tum gentem. Hic Chriſtus clamore nulli rationi aut fundamento innitente turbabatur, quod nimirum Romani venturi eſſent. Sed juſtum Dei judicium aſpicite: Romanorum adventurorum metu Chriſtum Cruci affigebant, ac crucifixionis hujus merces ipſis à Romanis reddita eſt, adeò ut eadem, quam timuerunt, poena puniti fuerint. Deum precor, ut clamorem & tumultum hunc, Venient Romani, (cui quantum ego quidem mihi conſcius ſum, & quantum mihi conſtat, nullam occaſionem & anſam juſtam præbui) avertat, ne ad iſtos introducendos auxilium conferat. Nunquam enim à primo Reformationis uſque ad hoc tempus Pontifex tantam in Anglia meſſem nactus eſt, quantam quidem ex diſcordiis & ſectis noſtris conſequutus eſt. Interea honore ornatus, dedecore inquinatus, bene & malè audiens, tanquam impoſtor, & è contrario veritati ſtudens ex his terris nunc diſcedo.

Ad peculiaria quædam deſcendo, quæ ut in medium proferam, operæ prætium mihi videtur. Primo ea, quæ Regem Sereniſſimum, Dominum noſtrum clementiſſimum concernunt,

declarare audebo. Nonnulli vehementibus ipsum calumniis aſperſerunt, quod Papatum in Regno ſuo ſtabilire voluerit. Sed conſcientiam meam, qui jam Deo rationem villicationis meæ redditurus abeo, teſtem produco, tam ipſum hujus in ſimulationis vacuum & expertem eſſe, quàm liber ab ea ullus viventium eſſe poteſt. Equidem ipſum doctrinæ Religioni per leges ſtabilitæ convenientis adeo ſanum Proteſtantem & confeſſorem exiſtimo, qualem ullum alium in toto hoc Regno; Imò ipſum in vita liberè & facile pro Religionis hujus Reformatæ negotio diſcrimini exponendâ cum quovis alio in contentionem venturum. Opinor etiam, probè me noſſe, aut debere noſſe non modo ſtudium ejus in verâ Religione ferium, ſed etiam fundamenta ipſa, quibus ſtudium illud, & Religionis amor innititur, & quidem adeò perfecta & intimâ cognitione, quàm ullus hominum in tota Anglia.

Deinde eſt, quod ſecundo loco de grandi & populoſa hac urbe dicam, cui Deus benedictionem ſuam largiatur. Nuper mos quidam hic invaluit, cujus vigore populus tumultuariè congregatus gregatim ad ſummam & honorandam Regni Curiam Parlamentum nimirum accurrit, & inſano clamore juſtitiam petit, perinde ac ſi magnum illud, & ſapiens conſilium (quod ſæpè res vulgo plane incognitas tractat) juſtitiam adminiſtrare nec velit nec poſſit, niſi ipſi inſano ejuſmodi clamore & turba aures vellicentur, aut juſtitiæ modus præſcribatur.

ſcribatur. Eſt profectò ejuſmodi conſuetudo, quæ plures innocentes homines extremo periculo objicere, & multum innocentis ſanguinis in ejuſmodi clamatorum cervicem injicere, & forſan etiam huic urbi accerſere poteſt; Quod omen tamen Deus, precor, avertat. Conſuetudo iſta, quam etiam in me, proh dolor, machinati ſunt, mihi jam funeſta eſt: authoribus factum Deus remittat, quod ex animo precor. Multis autem hominibus etiam ſana & ſalutaria ſuadentibus mos iſte exitio fuit. Ad Sanctum Stephanum morti adjudicandum cum nihil omninò ſufficeret, tandem in ſanum vulgus in eum concitabatur. Actorum 6. Eandem machinationem uſurpavit Rex Herodes, cum S. Iacobum juſtè interfeciſſe videri vellet. Sed S. Petrum peſteà aggredi nolebat, quod videret, quam in partem vulgus actionem illam rapturum, & an gratum ipſi facinus futurum eſſet, nec ne. Actorum 12. Sed cavete vobis ne manus veſtras ſanguine compleatis. Eſaiæ 1. Tempus enim eſt Deo ſoli notum, quo inter alia peccata etiam ſanguinis profuſionem indagabit. Et quando indagatio illa præſto eſt, Deus meminit, inquit Regius Pſaltes 9. Pſalmo, & non ſolùm, Deus meminit, inquit, ſed etiam non obliviſcitur miſerorum querimonias in 9. autem verſu, quinam iſti miſeri ſint, apertè indicat, ii nempè, quorum ſanguis præfato modo profuſus eſt. Cavete vobis ab ejusmodi actionibus; Horrendum eſt in-

eſt incidere in manus Dei vivi. Ad Hebræos 10. v. 31. Profectò horrendum eſt, & inprimis eo tempore, quo Deus ſanguinis dicto modo profuſi explorationem inſtituit. Itaque, ut precibus meis prophetiam hanc ab urbe arceam, hanc civitatem precabor, ut prophetiæ & vaticinationis Ierem. 26. verſu 15. propoſitæ memoriam refricet.

Tertio loco mihi de miſerâ hâc Eccleſiâ Anglicanâ aliquid dicendum. Florentiſſima in vicinarum Eccleſiarum deſtructione horrendâ miſeris & afflictis fratribus perfugium ac ſolatium præbuit. Sed proh dolor! Ipſa jam tempeſtatibus & procellis obruta horrendis, & turbulentis fluctibus concutitur, & Deus novit an, & quo pacto evaſura ſit. Imo, quod pejus eſt, non externis ſed internis ventorum turbinibus conquaſſatur. Iure cum quercu cuneis ex proprio ſuo ligno confectis diffiſſa comparatur, ubi cuique fiſſuræ, & rimæ impietas, & Religionis contemptus ſe ſumma vi inſerunt, poſtquam homines, uti Proſper dicit, impietati & profanitati locum dantes imaginatæ Religionis & opinionis tegumento ſcelera, & flagitia ſua involvunt. Religionis enim veritatem aliquo pacto amiſimus, ac multum, imò nimis opinioni in phantaſiâ conceptæ adhæremus. Eccleſia, quam nullæ Ieſuitarum machinationes in his Chriſtiani orbis partibus ſubruere, & diruere potuerunt, ſuis propriis & internis machinationibus in maxima pericula incidit.

Tandem ad me ipſum redeo; Invitus enim vobis

vobis tædium affero, utpote qui ex misera hac miseriarum valle gradu celeri excedere gestio. A vobis, quotquot mihi propiores sermonem meum auditu percipere potestis, obnixe & humiliter contendo, ut aures faciles mihi præbeatis. In Anglicanæ Ecclesiæ, qualis adhuc legibus stabilita est, & stabilitur, sinu natus, & Baptizatus sum. In Religionis hujus professione & confessione & educatus sum. & semper vixi. Ejusdem Protestantis Religionis confessioni addictissimus huc venio, ut corporis hujus exuvias deponam. Fucata simulatione se coram Deo sistendi tempus jam non est, præcipue verò ubi de Religione & vita agitur. Propterea postulo, ut dicta mea memoriæ custodienda tradantur. In Protestantium Religione vitam meam hactenus traduxi; Eandem puram retinens & conservans jam moriar. Quas contradictiones exceperim, quibus convitiis dilaniatus fuerim, dum externum cultum, externasque ceremonias hujus Ecclesiæ secundum ejusdem doctrinam & disciplinam ad conformitatem aliquam reducere conarer, toti mundo notum est, ego verò abundè sensi. Eò tandem negotium totum evasit, ut tandem in Parlamento insimularer perduellionis, summæ proditionis, & ejusmodi criminis, quod semper detestatus & execratus sum. Redarguerunt me proditionis hujus duobus præcipuis partibus aut capitibus innitentis· Vnum me Regni Leges abolere voluisse dicit; Alterum me veram Protestantium religionem legibus publicis stabilitam

bilitam evertere conatum fuisse perhibet. Præter responsiones ad unumquodque accusationis membrum peculiariter datas coràm utraque Parlamenti domo Contestatione denunciata Exceptionem meam interposui. Captivi contestatam Exceptionem de ipso coràm judicio factam non admitti dicebatur. De animo meo, ejusquè voluntate testimonium nullum exhibere possum; Itaque mihi ad Contestatò interpositam denunciationem redeundum est, non eam, quæ coram judicio fieri solet, sed quæ jam instante mortis hora coràm æterno judice fieri debet, & unica mihi restat; Hora inquam mortis instante, in qua mihi constituto, ut ante dixi, tantum charitatis unumquemque adhibiturum spero, ut iis cogitationum conviтiis me non sit flagellaturus, quasi moriturus & Religionem meam abnegaturus sim. Idcirco hinc contestata denunciatione apertè dico adjunctâ tamen eâ, quam supra adhibui, cautela, quod ea, quæ loquor, judicibus meis, quibus secundum allegata & probata actiones juris prosequendæ, præjudicio esse nolim, apertè inquam dico, quoniam in Dei omnipotentis, omniumque ejus sanctorum & beatorum angelorum præsentia mihi moriendum est, & mortem meam testem interpono, quod nullo unquam tempore Regni leges abrogare aut Protestantem Religionem in Pontificiam commutare molitus fuerim. Omnes vos rogo, ut hanc meam contestatio-

teſtationem mei in his & ſimilibus proditionum incuſationibus excuſandi & purgandi cauſa in memoriâ retineatis.

Parlamenti etiam hoſtis & adverſarius habitus ſum. Deus me cuſtodiat, nequid ejuſmodi vel cogitem. Nimis probè emolumentum inde nobis proficiſcens intelligebam, & noram, tantum abeſt, ut illud odio proſequutus, aut illius inimicus fuerim. Sed hoc faciebam; Alienato animo eram à quibuſdam erroribus, (uti ego in ſequiorem partem interpretabar) quorundam imò unius, aut duorum Parlamentorum, ac mihi rationes & occaſiones illud faciendi habere videbar. Nam corruptio optimi eſt peſſima. Quo res aliqua melior eſt, eò deterior corruptione evadit. Cùm itaque Parlamentum ſuprema hujus Regni Curia exiſtat, ac nullius alterius jurisdictioni aut poteſtati obnoxia ſit, facilè alicujus erroris commiſſione, quam Deus avertat, hujus Regni ſubjectos remedio omni deſtitutos relinqueret. Idcirco Deus utramque Parlamenti domum cuſtodiat, benedictione ſua impleat, ac concordiæ cancellis includat, ne ſimultatum violentia disjectæ diſſiliant. Sed orationis meæ vela contraham; quæ dicenda fuerunt, abſolvi. Toti mundo condono, omnibus & ſingulis acerborum horum hoſtium, ut & aliis, quicunque me quocunque pacto perſequutionibus præteritis afflixerunt, remitto. Humili autem ſubmiſſione primùm à Deo Opt. Max. peccatorum

rum

rum meorum veniam imploro, ac poſtea ab omnibus hominibus ſive aliquem offendero, ſive non, ſi quis modò me illud feciſſe cogitet, facti veniam peto. Domine condona mihi peccata mea, peccatorum veniam à te peto Preces veſtras meis conjugatis, rogo.

Epiſcopi Cantuarienſis prima præcatio in theatro. O Æterne Deus, & miſericors pater; Ingratia tua oculos tuos ad me converte; In miſericordiarum tuarum divitiis & plenitudine reſpice me; non tamen prius quàm peccata mea cruci Chriſti affixeris; reſpice me, non tamen prius, quàm Chriſti ſanguine me laveris, quàm Chriſti vulneribus me occultaverim, ut poenæ, quas peccata mea meruerunt, me tranſeant, & prætereant. Et quoniam tibi placuit extrema tentatione me probare, humilibus precibus abs te contendo, ut in maximis animæ meæ anguſtiis & difficultatibus patientiam plenam, æquabilem conſolationem, & ad moriendum pro peccatis meis, Regis ſalute, & hujus Eccleſiæ incolumitate promptiſſimum mihi largiaris. Studium & contentio, quibus his addictus fui, (jactantia & temeritas omnis abſit) ſunt peccata illa, quorum in hoc caſu peculiari (exceptis humanis infirmitatibus, & quæ illis accidunt) propter quem, proditionem puto hæc tolerare cogor, mihi hactenus conſcius ſum. Extra illum peccata mea ſunt multa & grandia; Condona, & remitte mihi, Domine, omnia, & inprimis ea quæ mihi præſentem condemnationem accerſiverunt. Poſt-

quam

quam mihi vires largitus fueris, ac me ad hæc ferenda idoneum reddideris, ità mecum age, ut tibi optimè viſum fuerit. Per mortem me ad vitam traducito, ut, qua forma ſe exhibeat, videre queam, & tandem ſanguinis profuſio horrenda in hoc Regno finem ſortiatur. Peto etiam, ut mihi æquè pro populo atque pro me preces meas effundere liceat. Oro te mi Domine, poenitentiæ & reſipiſcentiæ gratiam omnibus iis concedas, qui ſanguinem ſitiunt: Eorum, qui reſipiſcendo ad te redire reſpuunt, conſilia omnia diſſipes, quatenus Nominis tui gloriam, Religionis veritatem, & puritatem, Regis ac poſterorum ejus in juribus & privilegiis ſuis juſtis confirmationem, Parlamenti in antiqua & juſta poteſtate conſervationem & honorem, Eccleſiæ hujus miſeræ in veritate, pace & patrimoniis incolumitatem, & diſſipati hujus ac efferi populi ad antiquas leges, & libertatem inquilinam reductionem oppugnant. Et poſtquam hac gratia tua ipſos impleveris, animos ipſorum gratitudine, ac devota & debita oboedientia tibi & omnibus tuis præceptis toto vitæ ſuæ tempore præſtanda quoque expleas. Amen Domine Ieſu: Oro te animam meam gratia tua complectaris. Pater noſter, qui es in coelis, ſanctificetur Nomen tuum, ad, veniat regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in cœlo ſic etiam in terra, panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè, & remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem, ſed li-

bera nos à malo, quia tuum eſt regnum, & potentia in ſæcula Amen.

Finitis precibus ſcripturam ſuam Doctori Sterne tradidit dicens; Tibi, Doctor, hanc do, ut eam cæteris Capellanis collegis tuis oſtendere queas, & ipſi videant, quo pacto ex hac vita diſceſſerim. Benedictio & Gratia Divina vobiſcum maneat.

Deinde ad Maſter Hinde converſus, amice inquit, me audias, rogo: Non poſſum dicere, quod unumquodque verbum, uti in charta conceptum eſt, pronunciaverim. Sequutus tamen ſum auxilium hoc memoriæ meæ, prout potui. Quæſo ne concedas, ut aliquid iniqui in me committatur.

Hinde. Nulla tibi ab aliquo injuria orietur: Si qua injuria te affecero, eadem in caput meum redeat. Deum oro, ut animæ tuæ miſericordiam exhibeat.

Epiſcopus. Tibi gratias ago. Hæc nulla æmulatione concitatus dixi, quaſi ejuſmodi quid facturus eſſes. Sed jam perinde loquor, ac miſer homo, qui jamjam ex mundo egreditur: Fieri non poteſt, ut verbis in charta expreſſis me aſtringam, Vnici verbuli occaſione magna mihi injuria fieri poſſet.

Me hic humile theatrum inventurum putabam, ut ſpacioſum moriendi locum nanciſcerer. Rogo, operam date ut hujus miſeriæ meæ finem inveniam. Satis diu enim illam toleravi.

Cum locus recedentibus circumſtantibus ſpacioſior

ſpacioſior evaſiſſet, thoracem meum, inquit, exuam. Fiat Divina voluntas. Prompto animo hunc mundum relinquo; Nemo me ex hoc mundo ablegandi cupidior eſſe poteſt, quam ipſe exeundi avidus ſum.

Sir Iohn Clothworthy: Quis textus Scripturæ peculiaris ſingulare homini morituro ſolatium præbere poteſt?

Epiſcopus. Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.

Sir Iohn Clothtworthy: Cupiditas hæc bona eſt; ſed ejuſdem debet eſſe fundamentum; tanquam certitudo aliqua.

Epiſcopus. Nemo poteſt exprimere, cum intus tantum modo ſentiatur.

Sir Iohn Clothworthy: nihilominus in verbo fundamentum conſiſtit, & verbum illud vult agnoſci.

Epiſcopus. Verbum eſt cognitio Chriſti, & hæc ſola eſt certitudo illa.

Hinc in carnificem oculos conjiciens ipſi aliquantum pecuniæ donavit dicens, amice, tibi Deus condonet; munere tuo animo propitio fungere.

Carnifex petiit ut ſigno áliquo, quando ictum expectaret, ſibi ſignificare non gravaretur. Faciam illud inquit; ſed ſine primò ut me ipſum parem. Poſteà in genua procumbens ità precatus eſt.

Archiepiſcopi Cantuarienſis preces in theatro ultimæ.

Domine, tàm citò, quàm poſſum venio.

Vmbram mortis mihi transeundam scio, antequam tui videndi mihi copia fiat. Vmbra tamen mortis est, & parvæ tenebræ naturæ obscuritatem offundentes. Sed tu passione & merito tuo mortis maxillas & fauces perfregisti. Recipe animam meam & mihi misericors esto, ac regnum hoc, pacis, plenitudinis, fraterni amoris, & concordiæ benedictone completo, ut tandem horrenda hæc sanguinis effusio inter eos desinat, propter Iesum Christum, si voluntas tua fuerit.

Et cum diceret, Domine, accipe animam meam, carnifex securi mandatum sibi munus exequebatur. Verbis enim illis tanquam signo dato ab ipso præmonitus fuit.

AUCTUARIUM.

CUm Episcopus in theatrum veniret, & locum non inveniret, in quo vestes suas exueret, ad quendam Sherifum, seu prætorem, ex inimicis suis unum, conversus, putabam, inquit, quod mihi locum ad moriendum parasses. Diversis etiam rimis dehiscens tabulatum, ac multos sub eo homines videns eidemque rimas monstrans potuisses quidem, ait, impedire, ne sanguis meus hominibus in capita stillaret. Cùm in truncum collo incumbenti fascia, qui mos in magnatum suppliciis usurpari solet, supponeretur, eam abjecit, & animosè mortem oppetiit.

V.

V.

DECRETUM

Parlamenti, & catalogus Judicum magnæ curiæ juſtitiam adminiſtrantis ordinatorum ad examen.

Regis decreto communitatis Anglicanæ in Parlamento congregatæ.

QUandoquidem in propatulo eſt, quod *Carolus Stuard* præſens Angliæ Rex multiplicibus authoritatis & potentiæ acceſſionibus à Regibus anteceſſoribus ſuis contra ſubditorum ſuorum jus & libertatem arreptis non contentus malo conatu antiquas, & cardinales hujus Nationis Leges, conſuetudines, ac libertates abrogare & evertere, atque in earum locum arbitrio tyrannico fultam regendi formam ſurrogare molitus ſit, ejuſque promovendæ cauſa ferro ac flamma viam aperuerit, ac mali conaminis ad finem optatum devolvendi gratia inteſtinum bellum Parlamento & Regno intulerit, quod imperium hoc miſerrima & deploranda depopulatione vaſtavit, theſauros publicos exhauſit, negotiationis exercitium evertit, multa hominum millia vario mortis genere extinxit,

tinxit, & infinitis aliis ærumnis incolas mulctavit; ab hinc longo tempore in ipso poenæ dudum meritæ exemplum statui potuisset, & debuisset. Et quoniã Supremæ in Parlamento Curię assessores tàm Domini quàm cives eâ spe freti, quod captivitas personam ejus constrictam tenens, postquam Deus ipsum in Parlamenti sui manus tradidit, turbas in Regnis his exortas sedatura esset, actionem accusationis contrà ipsum instituendæ prohibuerunt, experientia tamen tristi compererunt, quod indulgens hæc sua facilitas ipsi & asseclis suis non solummodo ad continuandas machinationes hactenus usurpatas, verum etiam novos motus, & rebelliones excitandas, invasionesque faciendas animum addiderit; Vt igitur atroces ejusmodi difficultates, & calamitates in posterum præveniantur, & omni Summo rerum Præfecto, aut magistratui futuro tempore nationem Anglicam proditoriis & malitiosis machinationibus in servitutem detrudendi occasio præcidatur, ac cuivis ejusmodi quid in fraudem, detrimentum & interitum hujus nationis designanti impunitatis spes omnis adimatur, publico Communitatis in hoc Parlamento congregatæ decreto statutum est, atque hujus vigore statuitur, ut Thomas Fairfax, & Olivier Cromwel cæterique inferius nominati judices constituantur, & judices constituti dicti *Caroli Stuart* causam audiant, & judicent: Præfati igitur judices sive viginti sive plures numero memorati decreti vigore constituuntur, ac plenâ authoritate armantur, ut tanquam

magna

magna Iuſtitiæ Curia abſolutam poteſtatem habeant conveniendi & congregationem habendi tempore & loco opportuno, quem dicti judices aut major viginti vel plurium pars propria manu & ſigillis ſuis ad hunc finem deſtinaverint, & publica proclamatione in Curiâ ſeu magnâ aulâ Weſtmonaſterienſi indicaverint; ut de tempore ad tempus, & de loco ad locum citandi facultatem uſurpent, prout dictæ magnæ Curiæ aut majori ejus parti convenienti commodum viſum fuerit; ut ſequantur ordinem accuſationis, quâ dictus *Carolus Stuart* criminum commemoratorum inſimulandus eſt, ac perſonales reſponſiones recipiant, teſtes juramento teſtificationem, ſi opus fuerit, confirmantes examinent, iiſque examinatis, aut ſi reſponſio debita & requiſita defuerit, ad finalem ſententiam juſtitiæ & cauſæ conformem progrediantur, & tandem ſententiam pronunciatam celeriter & ſine ullo in partem alterutram declinante favore effectui dent, & exequantur. Dictæ etiam Curiæ plena authoritas hujus decreti vigore conceditur; ipſaque, etiam rogatur, ut tales officiarios, miniſtros, alioſque ad hanc actionem neceſſarias perſonas deligat, quales ipſa vel major ipſius portio ad præmiſſa omnia recte & ordine dirigenda opportunos & neceſſarios eſſe judicaverit.

Thomas Fairfax Generalis militiæ præfectus etiam cum omnibus Iuſtitiæ adminiſtris, ut & cuncti alii huic negotio addicti homines

F 4 ejuſ-

ejuſdem decreti efficacia hanc poteſtatem accipiunt, & rogantur, ut ſupradictis judicibus in demandatâ ſibi provinciâ exequendâ adjumento, & auxilio eſſe velint. Ità tamen hujus decreti vigor, ipſorumque authoritas ex eo manans intelligenda eſt, ut ad menſtrûum ſpatium reſtricta diutius continuari non debeat.

Curiam ſupremam Iudices conſtituentes ſunt, etc.

V. I.

ACTIO I. CONTRA

Regem xx. Ianuarii anno cIↃ IↃcXLIX. Weſtmonaſterii coram ſupremæ curiæ judicibus inſtituta.

POſtquam magnus Iuſtitiæ Senatus in grandi aulâ Weſtmonaſterii Subſellia ſua occupavit, Bradshaw inter milites Accenſi munus gerens atque ſenatus hujus præſes in ſeptuaginta circiter aſſeſſorum præſentiâ ſilentium imperavit. Primo lectus catalogus Iudicium, ac eorum unus quiſque audito nomine ſurgens præſentiam ſuam indicavit. Poſteà Parlamenti Decretum de Rege accuſando & examinando prælectum eſt.

Regem

Regem tecto capite Curiam ingredientem Accensus præcedens ac baculum tenens introducebat, tribunusque militaris Hacker cum triginta circiter præfectis militaribus & nobilibus præsidii Regii locum tuentibus comitabatur.

Præses. Carole Stuard Angiæ Rex, Angliæ communitatem in Parlamento conventum agentem acerbissimo dolore afficiunt ærumnæ & calamitates magnæ hanc gentem hactenus affligentes, & sanguis ejusdem innocentissimus largissima copia profusus, cujus culpa tibi omnium harum difficultatum operatori, & architecto imputatur. Idcircò propter munus suum Deo, Nationi, & sibi ipsi debitum, & ex potestate ab universo Populi & Nationis corpore sibi concessâ magnam hanc Iustitiæ Curiam instituit & continuat, coràm quâ tu jam sisteris, ut accusationem tuam audias, & litis persequutione de causa tua decernatur.

M. Coock causarum curator supremus. Mi Domine Nomine Communitatis Parlamenti, & totius Populi Angliæ accuso *Carolum Stuart* hic præsentem summæ proditionis, & magnorum maleficiorum, ac nomine Communitatis Angliæ postulo, ut ipsi accusatio sua prælegatur.

Rex. Expecta parumper.

Præses. Domine Curia præcipit, ut accusatio tua tibi prælegatur: Si quid habes, quod contrà dicas, audiri poteris.

His dictis prælecta est accusatio sequentibus verbis concepta.

ACCUSATIO Communitatis in Anglia instituta contra CAROLUM STUART.

DIctus Carolus Stuart admissus Angliæ Rex, & possidens Regnum sibi commissum potestate certis limitibus circum-scriptâ, ut illud ad legum Regionis normam, & non alia ratione gubernaret, ac officio sibi demandato, juramento, & æquitate devinctus, ut potestate sibi concessa ad Populi salutem, incolumitatemque, atque ejusdem jurium & libertatum conservationem uteretur, nihilominus malo molimine tentavit in se ipso constituere & conservare nullis legum limitibus definitam sed planè Tyrannicam potestatem, ut arbitrio suo absoluto Regni *habenas moderaretur, Populi jura & libertates everteret, ipsa Regiminis fundamenta funditus demoliretur, ac omnes malæ gubernationis emendationes, correctiones, & remedia, quæ coràm frequentibus & successivis Parlamentis, aliisque* Nationis *conventibus constitutionum hujus Regni fundamentalium & Cardinalium jure & potestate concessis ac licitis proponi solent, radicitus deleret: Hæc omnia ut consequeretur, se cum asseclis suis huic Parlamento præsenti malitiosis & proditoriis suis machinationibus opposuit, ac bellum intulit.*

Præcipuè

Præcipuè verò 13. *Iunii anni* 1642. *in Beverlej Comitatus Eboracensis oppido*; 13. *Iulij ejusdem anni Eboraci in Comitatu Eboracensi*; 24. *Augusti dicti anni in Nottinghamensis Comitatus metropoli, quo in loco signum suum militare erexit*; 23. *Octobris præfati anni in Edg-Hil & Keintonfield Comitatus Warwicensis oppidis*; 30. *Novembris commemorati anni in Braingfort* Midlesexensis *comitatus loco*; 30. *Augusti anni* 1643. *in Cavesham-bring haud procul à Reding Comitatus Berksirensis loco*; 30. *Octobris eodem anno in vel propè urbem Glocestriam*; 30. *Novembris anni nominati in & circa* Mewbery *in comitatu Berckensi*; 31. *Iulii anno* 1644 *in & Propter Cropredybridg in Comitatu Oxoniensi*; 13. *Septembris in Bodmin & vicinis Cornwalliæ locis*; 13. *Novembris anno* 1645. *in urbe Leicester*; 14. *ejusdem mensis & anni in campo circa Naseby in comitatu* Northamptoniensi; *Quibus temporibus & locis diversis, aut eorum plerisque aliisque hujus regionis, ut & temporibus aliis annorum suprànominatorum, sicut etiam anno* 1646, *dictus* Carolus Stuart *causa fuit & partim divisionibus, dissensionibus, & domesticis seditionibus, partim externis invasionibus ab ipso procuratis, aliisque perversis mediis & viis effecit, ut multa millia hujus Populi liberi trucidati fuerit. Idem* Carolus Stuart *non solum annis suprà nominatis bellum terra marique susceptū sustentavit, verum etiam eodem bello anno* 1648. *redintegrato Parlamentum suum, & bonos subditos hujus Nationis de novo adortus est, ac in comitatibus Kent, Essex, Surrey, Sussex, Midlesex, & multis aliis Angliæ & Walliæ locis ut & ipso mari turbas vehementissi-*

mas

mas renovavit. Inprimis verò præfatus Carolus Stuart *eum in finem Filio suo Principi, & aliis mandata dedit; & plurimas alias personas, atque haud paucas ex iis, quibus Parlamenti negotia Nationis securitatem attingentia commissa erant, vel propria sua, vel curatorum suorum opera corrupit, ut à Parlamento deficientes, munia sibi mandata desererent, & ab ipso Sustentatione & mandatis acceptis bellum atque hostilitatem contra dictum Parlamentum, & populum non modo alerent, verum etiam vehementius excitarent. Quibus crudelibus, & naturæ repugnantibus bellis à dicto* Carolo Stuart *suscitatis, continuatis, & dicta ratione redintegratis ac durantibus maxima innocentis sanguinis liberi Populi hujus* Nationis *cæde copia profusa, multæ familiæ ad interitum præcipites datæ, publici thesauri diminuti, & exhausti, mercatura & negotiatio non modo impedita, verum etiam valde labefactata, intolerabiles sumptus & impensæ factæ, maximum damnum* Nationi *illatum, & multæ Regni ditiones depopulatæ, vastatæ & in exitium præcipitatæ sunt.*

Et ut conatus suos malos indefinente studio prosequeretur, præfatus Carolus Stuart *nunquam desiit mandata sua Principi dicto filio suo, ut & aliis rebellibus, ac à Parlamento desciscentibus sive Anglis sive peregrinis injungere, quemadmodum etiam Comiti de Ormond & rebellibus Hibernis, quos sibi Comes dictus associavit. Hi plures, ac graviores adhuc invasiones à dicto* Carolo Stuart, *ac nomine ipsius procuratas huic Regno minitantur.*

Qui conatus impii omnes, bellaque & machinationes perversæ ab ipso, nominato nempè Carolo

Stuart

Stuart *non solum sustentatæ, verum etiam promotæ sunt, ut propriæ ipsius Personæ, ac familiæ suæ voluntas & potestas, atque vindicata prærogativa promoveretur, ac stabiliretur contrà publicum commodum, commune jus, libertatem, justitiam, ac pacem Populi hujus* Nationis, *à qua ipsi munus suum, ut antè diximus, commissum est.*

Ex quibus omnibus patet, quod dictus Carolus Stuart *fuerit & sit præcipua causa, princeps, architectus, ac primus motor dicti crudelis, præternaturalis, ac sanguinolenti belli, ac proinde reus omnium proditionum, homicidiorum, violationum, latrociniorum, vastationum, damnorum & calamitatum præteritorum bellorum tempore huic* Nationi *illatarum, aut ex dictis bellis emergentium.*

Dictus itaque Iohn Coock (præmissa contestatione exceptionis, quâ sibi Angliæ Populus inposterum quovis tempore quasvis alias accusationes contra nominatum Carolum Stuart *instituendi, ut & defensionem ac responsionem ipsius ad præcedentem accusationem aut partem ejus, aut quamcunque aliam hoc modo exhibendam illatam infirmandi libertatem reservat) dictarum proditionum & criminum causâ dicti Angliæ Populi nomine, præfàtum* Carolum Stuart *accusat tanquam Tyrannum, proditorem, homicidam, & publicum atque irreconciliabilem inimicum Populi Angliæ; & postulat, ut indicato* Carolo Stuart *Angliæ Regi præcipiatur respondere ad omnia & singula præmissa, ut ejusmodi causæ actiones, examina, explorationes, sententiæ, & judicia instituantur, quales, & qualia cum justitia optimè convenient.*

Deum

Dum hæc accuſatio legeretur, Rex nonnunquam auſterius ſubridebat, præcipue cum tyrannus, proditor, homicida, & boni publici apertus inimicus appellaretur.

Præſes. Domine; Accuſationis tuæ prælectionem jam auribus hauſiſti; materiam talem complectitur, qualis ex eâ apparet. Vides quod in ejus concluſione à Curia nomine populi Angliæ poſtuletur, ut ad accuſationem tuam reſpondere te cogat: curia itaque reſponſionẽ tuã exſpectat.

Rex. Equidem ſciendi avidus ſum, cujus poteſtatis vigore huc evocatus coràm vobis me ſiſtere cogar? Paulò antè in inſulâ Vecti eram; Quo pacto eò delapſus ſim, ut hìc enarrem, nimis longum foret. Ibi commoratus cum utrâque Parlamenti Domo transactionem pactus ſum, & quidem tantâ fidelitate publicâ, quanta unquam fieri potuit. Tunc temporis negotium mihi intercedebat cum honeſtis Dominis & Nobilibus, cum quibus honeſtè & integrè paciſcebar; Nec aliud quid affirmare poſſum, quàm quod ſumma ex ipſorum actionibus integritas eluxerit; ut paucis dicam, res ad ultimum pacis & concordiæ ineundæ momentum redierat. Jam noſſe optarim, qua authoritate, legitima dico, (plures enim ſunt in mundo illegitimæ, quales furum & latronum) ſcire inquam cuperem, qua authoritate inde abductus, & de loco in locum deductus ſim (graviora taceo) ac ſi probè mihi innotuerit, qua authoritate illud factum ſit, reſpondebo. Mementote, me veſtrum Regem eſſe, Regem inquam legitimum; Quid

oneris

oneris cervicibus veſtris imponeretis? Et quibus judiciis Divinis regionem hanc exponeretis? Probè providete, providete inquã, quid faciatis, prius quã ulterius progrediamini & ex uno malo in aliud delabamini. Propterea mihi patefacite, cujus authoritatis legitimę impulſu me in hunc locũ violenter compellatis: quod ſi feceritis, vobis reſpondere neutiquã detrectabo. Interea illud, quod mihi commiſſum eſt, proditione perfidâ non perdam. Antiquâ & legitima ſucceſſione mihi à Deo munus, & mandatum concreditũ eſt, quod neque proditoriè peſſundabo, nec etiã diminuã reſponſione, quã nova & illegitima authoritas à me poſtulat. Propterea reſponſione veſtra rem expedite; quo facto plura ex me audietis.

Præſes. Si tibi placuiſſet accuratius attendere ad ea, quæ tibi à Curia dicta ſunt, cum primum ingredereris, ſciviſſes qua authoritate hoc factum ſit, & adhuc fiat. Hæc authoritas nomine populi Angliæ, à quo Rex electus es, abs te poſtulat, ut ſibi reſpondeas.

Rex. Non, Domine; Hoc ego inficior.

Præſes. Si Curiæ authoritati te ſubmittere recuſas, judicibus pergendum erit.

Rex. Hoc ipſis ingenuè dico; quod Anglia nunquam electitium, ſed abhinc ferè mille annos hæreditarium Regnum ſemper fuerit. Propterea me certiorem reddite, quænam authoritas illa ſit, quæ me huc venire compulerit Majore patrocinio populi mei libertatem tueor, quàm ullus eorum, qui judices mei eſſe putantur. Idcirco mihi palàm facite, cujusnam authorita-

thoritatis jussu hic compaream necesse sit, & ego vobis ad eaque mihi proposuistis, respondebo; Sin minus nullam mihi responsionem extorquebitis.

Præses. Quo pactô muneri tibi demandato præfueris, neminem latet. Respondendi consuetudo tua est Curiæ quæstiones proponere, quod tibi in hoc statu constituto facere non licet. Bis vel ter tibi dictum est.

Rex. Præsto est Cobber vir nobilis, & tribuni militum Legatus. Ex hoc quærite, annon vi ex insula Vecti me abduxerit? Huc non venio, ut me hujus Curiæ judicio subjiciam. Domus Communitatis si talis esse rectè intelligatur, privilegia æquè ac horum aliquis, quicunque etiam fuerit, tueor, & defendo. Nullam hic Domum Dominorum, qui Parlamentum, cui etiam Rex interesse debet, constituere possunt, video. An hoc est Regem ad Parlamentum suum adducere? An hoc est transactionis totius mundi expectatione desideratæ finem facere? Exhibete mihi authoritatem legitimam verbo divino; Sacra scriptura, aut Regni constitutionibus firmatam, & fultam; Respondere vobis non recusabo.

Præses. Domine; Quæstionem proposuisti, & responsionem accepisti. Quoniam responsionem tuam nobis denegas, Curiæ videndum erit, quo pacto causæ hujus actionem instituat. Interea, qui te huc adduxerunt, operam dabunt, & curabunt, qua ratione te iterum abducant.

Curia

Curia nosse cupit, an hæc omnis tua sit responsio, qua, quæ tibi proposita sunt, diluere velis?

Rex. Hoc meum est postulatum, ut mihi & toti mundo hac in causa satisfaciatis. Patiamini, ut vobis hoc dicam. Haud parvi aut exigui momenti res est, quæ vos districtos & occupatos tenet. Iuravi jure jurando, quo Deo & Regno meo devinctus sum; quod pacem conservare velim. Hoc faciam, donec spiritus meus ultimæ reciprocationis signo vitæ meæ terminum adesse significaverit. Ea propter benè facietis, ac primum Deo, deinde toti Regioni satisfacietis, si mihi indicaveritis, quanam authoritate actionem hanc instituatis. Si usurpata & arrepta authoritate nitimini, nulla defensione id purgare potestis. Deus in coelo est, qui à vobis, & omnibus vobis potestatem illicitam concedentibus rationem exiget. Satisfacite mihi, & ego vobis respondebo. Alias munus mihi concreditum, & Populi libertatem damno & injuria afficitis. In memoriam ergò revocate, & me ad respondendum promptum invenietis. Pro certo enim vobis affirmo, æquè magnum peccatum haberi, & esse, legitimæ authoritati resistere, quam se tyrannicæ & illegitimæ subiicere. Ea de causa mihi satisfacere ne omittatis, ut responsionem meam accipiatis.

Præses. Curia expectat, ut categorica responsione ea, quæ tibi proposita sunt, expedias. Actionem in proximum Lunæ diem differre

 decre-

decreverunt. Si non contentus es iis, quibus authoritatem noſtram tibi demonſtramus, nos tamen noſtra authoritate contenti ſumus. Dei & Regni authoritate nitimur. Pax, cujus tu mentionem facis juſtitia colenda, quo opere nunc occupati ſumus, coletur.

Rex. Vt vobis reſpondeam, ſcitote, quod nullam legitimam authoritatem demonſtraveritis, quâ ulli hominum ratione præditorum ſatisfieri poſſit.

Præſes. Hæc tua eſt opinio. Nos, qui tui judices ſumus, eâdem acquieſcimus.

Rex. Neque mea, neque veſtra, qui hoc ſopire deberetis, opinio eſt.

Præſes. Curia te audivit, & de te ac rebus tuis diſponet, prout in mandatis dedit.

Curia citat in diem Lunæ, quo hora 10. ante meridiem in picta camera conveniendum, & inde huc progrediendum.

Notatu dignum eſt, cum accuſatio contrà Regem inſtituta prælegeretur, quod caput ſeu ſphærula baculi, quem manibus tenebat, ominoſo caſu in terram deciderit: Hoc cum admiratione aſpiciens, & neminem, qui tolleret, videns ipſe inclinato corpore de pavimento ſuſtulit.

Abiens, & curiam aſpiciens, Hunc inquit non timeo. Intelligebat autem gladium ibi jacentem. Cùm de gradibus deſcenderet, populi acclamationes diverſæ aures ipſius penetrabant. Pauci Deus Regem cuſtodiat, plures verò fiat juſtitia, exclamabant.

VII.

VII.

ACTIO II.

Die lunæ xxii Ianuarii, anno cIↄ Iↄc XLIX. Weſtmonaſterij coram ſuprema juſtitiæ curia in regem habita.

SIlentio imperato Curiæ aſſeſſorum Catalogus recitabatur, & quiſque præſens reſponſione ad nomen ſuum lectum datą præſentiam ſuam indicabat. Silentium iterum carceris poena adjuncta mandabatur, & excubiarum præfecto injungebatur, ut quicunque tumultum excitaret, eum captivum faceret. Rege ingrediente magna vociferatio exoriebatur, eaque de cauſa excubiarum Curiæ præfecto in mandatis datum eſt, ut omnes tumultuaturos cuſtodiæ traderet.

Cauſarum curator ſummus. Cum veniâ Domine Præſes. Cum Curia hæc nuper congregata eſſet, Populi Angliæ nomine & mandato ipſi tradidi accuſationem proditionis ſummæ, & aliorum criminum grandium inſtitutam contrà captivum judicio veſtro exhibitum. Eorum autem criminum Populi Angliæ nomine ipſum accuſabam, & accuſatio ipſi prælegebatur, reſponſioque ejus poſtulabatur. Sed reſponſio-

 nem

nem tunc temporis reddere ipſi non placebat, ut pote qui reſponſionis loco hujus Curiæ magnæ authoritatem diſputando in dubium vocare maluit. Humili ea de cauſa petitione ab hac Curia magna Angliæ Regni nomine contendo, ut categorica reſponſione aut affirmando, aut negando negotium expedire ipſi in mandatis detur: &, ſi hoc facere recuſet, accuſationis capita tanquam confeſſione ejus comprobata habeantur, ac Curia in cauſa hac judicanda & ſententia debita definienda conſuetum juris & juſtitiæ curſum ſequatur.

Præſes. In memoriam tibi revocare potes quod Superiore congregatione Curia tibi ſignificaverit, quâ de causâ huc adductus ſis; Audiviſti etiam accuſationem tuam, quæ proditionem ſummam, aliaque grandia crimina in Angliæ Regnum commiſſa comprehendens tibi prælecta eſt. Porrò audiviſti, quod populi nomine poſtulatum & rogatum ſit, ut reſponderes ad ea, quorum inſimulatus es, ut ejuſmodi cauſæ actio inſtituatur, quæ cum Iuſtitia, & jure conveniat: Sed tunc placebat tibi nonnullis diſceptationibus Curiæ hujus authoritatem in controverſiam adducere, & cujus authoritatis nomine huc adductus eſſes, te neſcire dicebas. Quæſtiones tuas ſæpius proponebas, & multoties reſponſionē accipiebas, quod videlicet Angliæ Communitati in Parlamento conventum agenti conſultum viſum ſit capitalium & grandium criminum, quibus te accuſatio hæc onerat, rationem abs te exigere. Poſtquam Curia

midita-

meditatione ſeria, quæ tunc temporis dixiſti, examinavit, in propria authoritate ſua acquieſcit, ac tibi in eadem acquieſcendum eſſe cenſet. Poſtulat ergò abs te, ut categorica & peculiari reſponſione accuſationis capita tibi propoſita aut vera eſſe dicas, aut tanquam falſa refellas. Expectat abs te, ut eadem aut confitearis, aut inficieris. Si inficiatus fueris, nomine Regni omnium liquidis teſtimoniis comprobandorum actio offertur. Authoritatem ſuam coràm toto mundo affirmat, adeò ut totum Regnum in eâ acquieſcere debeat, in quâ tu etiam acquieſcere deberes. Propterea non eſt, cur plus temporis inutiliter conteras. Quin potius reſponſione categoricâ rem expedi.

Rex. Cum nuper hic eſſem, me quæſtionem illam in medium produxiſſe inficias ire non poſſum. Si cauſa hæc ad me ſolum pertinuiſſet, contentus fuiſſem conteſtata illa exceptione, quam Curiæ hujus authoritati legibus non conſentaneæ oppoſui, & quâ expreſsè affirmavi, nullam in terrâ juriſdictionem eſſe, cujus examini Rex ſubjici queat. Sed res me ſolum non concernit; verum etiam Populi libertatem attingit. Quicquid vos etiam objiciatis aut prætendatis; Ego majori ſtudio ipſius libertati patrocinor. Nam ſi violentiæ omni juri prævalenti leges novas condere, & Regni leges cardinales mutare aut abrogare licet, neſcio profectò, quis ſubditorum in Angliâ aut vitæ ſuæ, aut eorum, quæ ſua appellare poteſt, certitudinem & ſecuritatem ſibi polliceri queat? Propterea cum

hic primò comparerem, expectabam rationes peculiares, quorum adjumento mihi innotesceret, cujus legis & authoritatis vigore actionem hanc in me haberetis. Non est igitur, cur de iis admodum sollicitus sim, aut multum laborem, quæ ad peculiaria ista à vobis mihi proposita respondendo regam. Affirmatio enim argumentis & testimoniis firmanda est; Negatio ex seipsâ sæpe numero satis multis difficultatibus implicata est. Verum quoniam, quæ dico, vobis persuadere nequeo, rationes meas quàm brevissimè potero, vobis enarrabo.

Rationes & argumenta mea, qui conscientiæ & officii mei vinculo primum Deo meo, deinde Populi mei vitæ, libertatis & in columitatis conservationi, & defensioni obligatus sum, sunt, quod metuam, ut responsione mea desiderium vestrum explere possim, antequam legitimæ authoritatis demonstratione mihi satisfactum fuerit.

Omne actionis genus in quemcunque etiam.

Præses. Domine, necessitas requirit, ut interpellatione mea sermonem tuum turbem, quod non facerem, si ea, quæ tu facis, cum ullius Curiæ aut Iudicii consuetudine congruerent. Incipis delabi in disputationem, qua controversiam moves authoritati hujus curiæ, coràm quâ captivus ades, & tanquam summus maleficus accusaris. Si de Curiæ aut Iudicii nostri authoritate disceptationem instituis; Tibi permittere non possumus, quod nullum Iudicium maleficis indulgere solet. Te submittas oportet.

oportet. Ad quęvis puncta responsio directa tibi reddenda est, num videlicet affirmando, aut negando respondere velis, & quæ tua sit responsio.

Rex. Domine, Cum venia; Legis verba formalia ignoro. Quid jus & fas sit, probè novi, quamvis Jurisconsultum non profitear. Tantum mihi quidem de legibus constat, quantum ulli alicui ex Anglica nobilitatę constare potest. Propterea permissu vestro libertatis Populi in Angliâ causam majore contentione, & fervore quàm vos ago & defendo. Injustum itaque esset ab aliquo postulare, ut absque ratione auditâ & perceptâ mihi fidem adhiberet. Hoc vobis dicam oportet, me rationibus vestris hactenus intellectis neutiquam assentiri posse.

Præses. Domine, iterum sermo tuus mihi interrumpendus est. Nulla ratione tibi permitti potest. De Jure & ratione loqueris, ac jus & rationem esse fas est. Utrumque tibi adversatur. Domine, Suffragia Communitatis Angliæ in Parlamento congregatæ Regni Ius & ratio est. Hæc tibi Ius, & Leges præscripserùnt, quarum ductu & auspicio Regnum tibi regendum fuerat. Domine, Tuum non est authoritatem nostram ejusmodi disceptationibus dubiam reddere. Hoc tibi altera vice à Curia dicitur. Domine, Testimoniis res firmabitur, quod Curiam despicatui ducere coneris, & hic contemptus tuus literis & scripto mandabitur.

Rex. Nescio quo pacto Rex maleficus esse queat; verum lege aliqua, quemadmodum semper audivi, omnes alii homines maleficii

accusari possunt. Malefici, aut quocunque alio nomine personam talem appellare libet, contra quamcumque actionem in se habitam aliquid, & quidem legitimè, inferre possunt; permittite ut vobis hoc dicam. Idem jus ego postulo, & peto, ut rationes meæ audiantur. Si hoc denegatis, etiam Rationem denegatis.

Præses. Domine, aliquid à Curia postulasti; De Populi Sententia tibi aliquid dicam. Domine, neque tibi, neque ulli alii homini hunc articulum, aut hoc punctum disputationibus ventilare permissum est: Captivitate constrictus es, Curiæ Jurisdictionem remorari nequis. Si facis, te certiorem reddam necesse est, quod remoratione tua superiores sint. Authoritate Communitatis Angliæ Senatores & Judices hìc sedent. His tu & omnes tui antecessores rationem reddere tenemini.

Rex. Hoc inficior; Exemplum unum mihi monstra.

Præses. Tuum non est Curiæ loquentis orationem interrumpere: Tibi hoc punctum in quæstionem, & controversiam adducere non licet. Nec Curia illud faciendi facultatem tibi indulgere cupit. Si hæc omnia in medium profers, ut Curiæ Iurisdictionem impedias, Iurisdictionem suam probè perpendit. Iurisdictionem suam propriam affirmat.

Rex. Dico, Domine, permissu tuo, quod Angliæ Communitas nunquam Curia judiciariam potestatem habens fuerit: atque idcirco nosse cuperem, quo pacto talis evaserit.

Præses.

Præs. Domine, Sermonum ejuſmodi continuatio tibi permitti non poteſt.

His finitis Curiæ Scriba ſequentia legebat.

CAROLE STVART *Angliæ Rex, Nomine Populi Angliæ ſummæ proditionis aliorumque grandium criminum inſimulatus es; Curia decrevit, ut reſponſionem tuam ad accuſationem reddas.*

Rex. Reſpondebo, cumprimum compertum, exploratumque habuero, qua authoritate hoc fiat.

Præſes. An hæc omnia ſunt illa, quæ dicere cupis. Vos Nobiles, qui captivum huc adduxiſtis, operam date, ut iterum abducatur.

Rex. Poſtulo, ut mihi rationes meas afferre liceat, cur reſpondere recuſem, ad hoc faciendum temporis ſpacium neceſſarium mihi largiamini.

Præſes. Domine, non decet captivum talia petere.

Rex. Captivum? Domine, non ſum captivus ordinarius.

Præſes. Curia juriſdictionem ſuam examinavit, eamque jam affirmavit; Si reſpondere recuſas, præcipiemus, ut contumacia tua notetur.

Rex. Rationes meas nondum audiviſtis.

Præſes. Rationes tuæ coràm Suprema Iuris-

 dictione,

dictione, aut summo tribunali audientiam habere non debent.

Rex. Demonstra mihi tribunal illud, ubi Rationi aures patere non debent.

Præses. Hic tibi demonstramus; Communitatem nimirum Angliæ. Proxima vice, ubi huc reductus fueris, reliquam Curiæ voluntatem, ac forsan sententiam hanc causam finituram intelliges.

Rex. Demonstra mihi, an ullo unquam tempore Communitatis Domus Curia judiciariam ejusmodi potestatem habens fuerit.

Præses. Accense, Captivum abducito.

Rex. Benè Dominè, memento, quod Regi non permittatur, ut omnium suorum subditorum libertatis causa rationes, & argumenta sua proferat.

Præses. Domine, nulla tibi ejusmodi sermonum habendorum libertas data est. Quo favore & benevolentia Populi leges, & libertatem complexus sis, Anglia tota, imò totus mundus judex esto.

Rex. Permissu tuo dicam. Subditorum libertas & leges fuerunt, quarum causa arma sumpsi, aut me armis defendi. Armis nunquam Populum oppugnavi, sed leges propugnavi.

Præses. Curiæ mandatum effectui dandum est: Ad accusationem nulla responsio dabitur.

Rex. Benè Domine.

Finita hac disceptatione excubiæ præsidiariæ Regem in Domini Roberti Cottonis ædes comitatæ sunt.

Curia autem in pictam Cameram citata eſt, ut die Martis hora 12. frequens adeſſet: unde in Weſtmunſter Hall convenire propoſitum fuerat: quo tempore omnes perſonæ, ad quas hæc actio pertineret, confluere deberent.

VIII.

ACTIO III.

Die Martis XXIII. Januarii anno cIↃ IↃC XLIX weſtmonaſtercii coram ſuprema Iuſtitiæ curia Regi intentata.

AUdientiæ mandato dato, & ſilentio imperato aſſeſſorum Curiæ catalogus recitabatur. Eorum ſeptuaginta tres præſentes erant.

Rex excubiis præſidiariis comitatus ingreditur, torvo vultu aſſores intuetur, ac ſedile occupat.

Altera vice audientiæ & ſilentii ſigno data M. Cooc cauſarum procurator generalis ſequentem ſermonem habuit.

Mi Domine *Præſes*; Si Dominationi tuæ placet. Gratia Divina, & hujus Curiæ favore captivus hic ante ullum cauſæ eventum tertia jam vice coràm judicio veſtro ſiſtitur. Mi Domine, Prima ſeſſione celebrata accuſationem ſummam

mam proditionem, quæ unquam in Angliæ Regno fabricata eſt, continentem contra ipſum inſtitui; Regem nimirum Angliæ, cui legum conſervatio concredita eſt, qui juramento præſtito ſe illud facturum promiſit, cui propter eandem cauſam tributa, & vectigalia ſoluta ſunt, reum eſſe mali propoſiti, quo leges noſtras evertere, & abrogare, Regimen tyrannicum in regentis arbitrio conſiſtens introducere, & in Parlamenti ejuſque authoritatis defenſionem ſubrogare, ac bellum contra Parlamentum, & Populum ſuum excitare conatus eſt. Precibus humilibus Communitatis Angliæ nomine tunc contendebam, ut quàm citiſſimè reſponſio ad accuſationem ab ipſo poſtularetur. Sed mi Domine, reſponſionis loco diſceptationem inſtituebat, quâ hujus Curiæ authoritatem in dubium vocare tentavit. *Placuit Curiæ diei dilatione ipſi accuratioris meditationis ſpacium largiri, ut reſponſionem ſuam afferret. Heſterno die ad reſponſionem dictam audiendam deſtinato debita ſubmiſſione iterum petii; ut categorica & directa, ſive affirmans, ſive negans fuerit, reſponſio ab ipſo exigeretur. Sed mi Domine, placuit tum ipſi Curiæ juriſdictionem remorari, quam remorationem Curia tum ſuperabat, & ipſi categericam & directam reſponſionem imperabat. Mi Domine, magna hac juſtitiæ procraſtinatione jam facta Dominationem tuam ad ſententiam hujus cauſæ decretoriam citò pronunciandam ſubmiſsè hortor.* Mi *Domine, Dominationem tuam urgere poſſem, & quidem notarum regularum Legum in hoc regno jure & vigore, quando videlicet captivus in contumaci contemptu*

temptu perſiſtit, nec finali declaratione aperit, an accuſationis in ipſum inſtitutæ reus aut non reus ſit, ut debito examini ſubjici queat, quod reſponſionis tardatio, & ſubterfugium ejusmodi pro claudeſtina confeſſione habenda ſit, & non aliter accipienda, quam ſi reus confeſſus fuerit: quod iis uſu venit, qui coram judicio accuſati majore favore digni fuiſſent, quam hic captivus, cui tantum favoris hactenus coràm judicio exhibitum fuit. Præter hæc, mi Domine, apud Dominationem veſtram ſumma humilitate integro facto inſtabo. Domus Communitatis, ſuprema authoritas, & jurisdictio hujus Regni pronunciavit, manifeſtum eſſe, quod accuſationis argumentum cum veritate ad amuſſim congruat, quemadmodum illud revera, mi Domine, quavis cryſtallo, imò ipsâ luce meridiana clarius eſt. Acſi hæc Dominationi tuæ, atque Curiæ forſan non ſatisfaciant, in Populi Angliæ uſum diverſos teſtes adducere poſſum. Ea propter ſubmiſsè oro, & ut verum fatear, non tàm vehementer ego, quam innocens ſanguis profuſus, cujus clamor juſtitiæ vindictam implorans admodum grandis eſt, Submiſsè inquam rogo, ut celeri ſententia contra captivum pronunciata tandem hæc actio finiatur.

Præſes. Domine, audiviſti, quid Iudicum conſeſſus Regni nomine contrà te propoſuerit. Domine, in memoria habes; ſin minus, Curia oblivioni tradere non poteſt, quot, & quantis procraſtinationibus ipſam differre molitus ſis. Quæſtiones nonnullas tibi movere placuit: reſponſiones intellexiſti. Sæpius & pluribus vicibus tibi dictum eſt, quod Curia propriam ſuam juriſdictionem affirmaverit, & nec tibi

nec

nec ulli hominum licitum ſit jurisdictionem ſupremæ authoritatis in Anglia, unde nulla appellatio datur, & quæ in nullam diſputationem cadit, diſquiſitione ancipiti in dubium adducere. Tu tamen antiquum obtinens nullam obedientiam præſtitiſti, nec aliquam in hoc judicio, nec in ſuprema Curia, quæ hoc judicium conſtituit, authoritatem agnoviſti.

Domine. Curiæ nomine te certiorem reddam neceſſe eſt, quod has tuas dilationes admodum ægrè ferat, & ejusmodi authoritate à Parlamento Angliæ armata hoc pacto abs te differri non debeat, ac proinde jure, ſi ipſi placeret, & ſecundum juris ac juſtitiæ regulas harum dilationum occaſione judicii accelerandi, ac ſententiæ contrà te pronunciandæ opportunitatem manibus prenſare poſſet, nihilominus tamen dilationem concedere ipſi viſum fuit. Ejus nomine exigo, ut tu, Domine, non ancipiti, ſed aperta, & omni dubio carente reſponſione accuſationem hanc expedias, ac verbis apertis & omni ambiguitate liberis utaris. Iuſtitia enim perſonarum reſpectu nullo laborat. Apertè tibi reſpondendum eſt, & quidem Anglico candore utrum proditionis hujus tibi impoſitæ conſcius ſis, nec ne.

Rex poſt breve ſilentium, Cùm heri, inquit hìc eſſem, libertatis Populi Angliæ cauſam agere cupiebam. Verum interrumpebar. Adhuc ſcire velim, utrum liberè mihi animi mei ſenſa effari liceat, nec ne?

Præſes. Domine, hiſce diebus Curiæ reſponſiones

ſiones quæſtionibus tuis ſatisfacientes ſatis ſuperque intellexiſti. Tibi etiam dicebatur, quandoquidem tanti momenti accuſatione oneratus es, tuum eſſe, Curiæ Iuriſdictionem agnoſcere, ac inſimulationi reſponſione tua ſatisfacere. Domine, ſi ad accuſationem tuam reſponderes, cujus rei copiam tibi Curia facit, quamvis aliud faciendi ex contemtu tuo anſam arripere potuerit; Nihilominus ſi ad inſimulationem reſpondere potes, & ſi unam reſponſionem dederis, prolixiore audientia excipieris. Defenſione quam poteris optima te tueor. Sed Domine Curiæ nomine tibi notum facere cogor mandatum ejus, quo prohiberis ullis aliis diſceptationibus te implicare, priusquam abſolutam reſponſionem dederis ad materiam, quam accuſatio tua continet.

Rex. Accuſationem mihi intentatam ne gry quidem æſtimo. Libertatem Angliæ propugno. Quantum ad me attinet, ut novam Curiam agnoſcam & admittam, de quâ nunquam anteà audivi; Ego inquam, qui Rex veſter ſum, qui toti Angliæ Populo exemplo eſſe debeo, ut juſtitia conſervetur, & antiquæ leges defendantur; Profectò quo pacto illud facere debeam, non video. Die primo, Sabbathi nempè, quo primâ vice huc protractus ſum, benè loquebaris de officio mihi à Deo impoſito & libertatis Populi defenſionem attingente. Eodem officio in Dei conſpectu confiteor me ipſi & populo meo devinctum eſſe, ut pro virili mea antiquas Regni leges tuear. Nihil igitur, bona

veſtra

vestra venia, in medium proferre possum, quod accusationi privatæ meæ personæ respondere queat, donec mihi manifestetur, quod hæc actio à legibus Regni cardinalibus non diffideat. Si mihi tempus concedere vultis, rationibus stabiliam, cur petitioni vestræ morem gerere nequeam, & hoc.

Hic in loquendo interpellatus porro dicebat.

Cum venia. Sermonem meum interrumpere non debuissetis. Quo pacto huc venerim, nescio. Nulla lex est, cujus adjumento & jussu Regem vestrum captivum facere possitis. Publicâ Regni fide fretus transactionem pactus sum cum utraque Domo Parlamenti satis nota, quæ Regnum repræsentant. Cum jam ad tractationis tàm laudabilis finem ferè pervenissem, subito abreptus, & huc raptatus sum. Atque ideo.

Præses. Verba Regis interpellans, Domine, ait, Curiæ voluntatem scire debes.

Rex. Permissu tuo.

Præses. Non Domine, tuo permissu. In sermones hos incidendi nulla tibi facultas dari potest. Maleficus huc venis; authoritatem Curiæ agnoscere recusasti. Curia non petit abs te, sed tibi ad huc semel mandat, ut aperte respondeas. Scriba, officium tuum facito.

Rex. Officium, Domine?

Scriba

Scriba legit, quæ ſequuntur.

CAROLE STUARD Angliæ Rex, nomine Communitatis Angliæ poſtulatus es diverſorum grandium criminum, & proditionum; Poſtulatio tibi prælecta eſt. Iam Curiæ voluntas eſt, ut categorica & ultima reſponſione finias, & accuſationis capita aut fatendo vera, aut inficiando falſa eſſe dicas.

Rex. Domine, iterum tibi dico, ſi mihi populo Angliæ de actionum & operum meorum integritate ſatisfaciendi poteſtas concederetur, non formâ reſponſionis, nec hoc more, aut modo, ſed ut ipſis demonſtrarem, me nihil feciſſe, quod provinciæ mihi demandatæ limites egrediatur, lubenti animo hoc facerem. Sed Domine, me excuſes velim, quod novæ Curiæ populi privilegiis repugnanti, ac cardinales Regni leges mutanti ſubſchribere detrectem.

Præſes. Domine. Tertia jam vice hujus Curiæ authoritatem inficiaris, eamque contumelia afficis. Qua ratione Populi privilegia cuſtodiveris, opera, & actiones tuæ loquuntur. Sed profecto Domine, hominum opiniones & animorum ſententiæ ex operibus ipſorum cognoſcendæ ſunt. Animi tui ſententiam toti Regno ſanguinolentis literis inſcripſiſti. Sed Curiæ voluntatem noſti.

Scriba contumaciam notato.

Et vos Nobiles, quibus captivi custodia concredita est, ipsum iterum abducite.

Rex. Hoc unicum solum verbum non possum quin adhuc eloquar. Si ad me solum tanquam ad privatum aliquem omnis hæc actio attineret, omni ulteriore sermocinatione supersederem, nec amplius tuam orationem interrumperem.

Præses. Curiæ voluntatem animadvertisti. Comperies, quamvis intelligere nolis, quod coràm Iustitiæ tribunali compareas.

Rege cum comitatu suo egresso proclamabatur, ut omnes personæ, quæ actui huic intererant, & aliquid negotii adhuc in curia habebant, in Cameram pictam se conferrent, in quem locum Curia iterum citabatur. Proposuerat autem sequenti manè hora decima in Westmunster-Hall iterum convenire.

Præco. Angliæ Regno Deus benedicat.

Die Mercurii xxv Ianuarii Anno 1649. Hoc die Summi Justitiæ Senatus in Westmunster-Hall circa decimam horam congregatio expectabatur. Sed tempore ad conventum destinato unus ex janitoribus Curiæ tunc in Camera picta sedentis jussu adveniens populo, qui eò confluxerat, significabat, quoniam Curia testibus examinandis quoad negotium hoc ad Regem pertinens in Camera picta occupata esset, quod jam in Westmunster-Hall convenire non posset, &, quicunque adesse jussi fuissent

iſſent, tempore iterum indicando compare deberent.

IX.

ACTIO IV.

Et Sententia die Sabbathi 25. Januarii Anno 1649 Weſtmonaſterii a ſuprema Juſtitiæ curia contra CAROLUM STUARD Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Regem pronunciata.

POſtquam Silentium imperatum eſſet, judicum nomina legebantur.

Primo Præſes toga coccinea indutus, prout eo die negotium expediendum requirebat, poſtea verò adhuc ſexaginta ſeptem judices ad nomina ſua tecta reſponſionibus datis præſentiam ſuam ſignificabant.

Rex habitu ſolito, & capite tecto redibat.

Cum Palatium ingrederetur, in aula magnus clamor ab iis, qui juſtitiam & executionem clamabant, excitatus eſt.

Poſtquam altera vice turba hominum præ-

ſentium ſilere juſſa eſt, Excubiarum præfecto injungebatur, ut tumultum aliquem ſuſcitantes in vincula conjiceret.

Rex adveniens audientiam petebat.

Præſes ipſi reſpondens, ſuo tempore, ait, id fieri poſſe; Iam vero ipſi ad ea attendendum eſſe, quæ Curia dictura foret.

Rex audientiam petere non deſiſtebat, utpote qui credebat, ea quæ dicturus eſſet, forſan cum iis congruere poſſe, quæ Curia in medium allatura eſſet. Addebat etiam, ſententiam præcipitem haud facili negotio revocari, aut emendari poſſe.

Dominus Præſes autem ſequenti oratione conſeſſum totum compellavit.

HAud incognitum vobis eſt omnibus, mei Domini, qui præſentia veſtra conſeſſum hunc ornatis, quod hic captivus diverſis vicibus judicio exhibitus, & compellatus ſit, ut ad proditionis, & aliorum grandium malefactorum accuſationem (*Matrona quædam iis addicta, qui Parlamento adverſabantur, hic ſermonem interrumpens dicebat, ne dimidiæ quidem Populi partis,* &c. *Sed ſilentium præſtare juſſa eſt.*) Populi Angliæ nomine contra ipſum inſtitutam reſponſum daret. Quotieſcunque verò de reſponſione danda interpellatus fuit, redarguendo, & diſceptando hujus judicii, imò etiam

ſupremæ

ſupremæ Curię, à qua ipſius audiendi, examinandi, & judicandi cauſa hoc judicium ordinatum eſt, authoritatem dubiam & ancipitem reddere auſus eſt, tantum abeſt, ut Curiæ mandatis paruerit, & juſtitiæ ſe ipſum ſubjecerit. Et poſtquam eo in caſu ipſi ſuperato inſtantia ulteriore reſponſio imperata eſt, in conſueta contumelia perſiſtere ipſi placuit, adeo ut reſponſionem requiſitam ſine intermiſſione negaret. Eapropter curiæ, ne vel ſibi ipſi, vel fidei ſibi commiſſæ, vel fidelitati ſuæ defutura eſſet, aut ullius petulantia juſtitiam præverteret, accuratiſſima diſquiſitione cauſam ponderare viſum fuit. Ac poſteaquam accurata obſervatione animum intendit in accuſationem, contumaciam, & confeſſionem jure ex contumacia iſta proficiſcentem, ut & facinoris ipſius captivo imputati evidentiam notiſſimam, ac porrò cauſam ipſam totam, tandem decrevit, ac de ſententia contra captivum pronuncianda unanimi conſenſu inter ſe convenit.

Verum quoniam rogavit, ut prius audiretur, quàm ſententia legeretur, & pronunciaretur, Curia ipſi audientiam largiri ſtatuit. Tibi tamen, Domine, antea hæc prædicam, quæ tibi in præteritis ſeſſionibus prolixis & ſæpius iteratis verbis dicta ſunt; nimirum ſi ea, quæ dicenda habes, ad authoritatem, & Iurisdictionem in diſquiſitionem adducendam tendunt; quod nulla tibi audientia concedetur. Illud antehac molitus, ac radicem aggreſſus es, id eſt, poteſtatem, atque ſummam authorita-

tem Communitatum Angliæ, quam disputationi subjicere Curia hæc neutiquam permittit. Hoc coràm Curia facere injurium est, utpote cujus actiones authoritati à prædictis Communitatibus descendenti tanquam fulcro suo innituntur. Sed Domine, si ea, quæ defensione aliqua criminum accusationem abste removere possunt, in medium proferre cupis, Curia mihi in mandatis dedit, ut tibi significarem, quod te audire velit.

Rex respondebat: Quoniam video, quod omnem disceptationem ex aurium vestrarum confiniis rejiciatis, & audire recusetis ea, quæ me credidisse confiteor, quod ad Regni pacem, & subditorum libertatem maximum pondus & momentum allatura essent, satius erit, ut ne verbulo quidem eadem attingam, & silentio potius involuam. Hoc solum dicere cogor, quod hactenus spacio temporis haud exiguo omnia mihi adempta sint iis exceptis, quæ mihi meâ vita propriâ longè chariora sunt, nimirum conscientiâ & honore. Si vitæ meæ quàm pacis Regni, & libertatis subditorum meorum majorem rationem habuissem, causam profecto meam peculiari defensione tutatus, & ad minimum illud consequutus fuissem, ut turpissimam sententiam, quâ proculdubio me obrutum iri credo, aliquandiu procrastinassem. Ac profecto, Domine, tanquam vir judicio aliquo præditus, ac aliqua rerum mundanarum cognitione imbutus longè alio pacto res meas instituere potuissem, quàm hactenus quidem feci, si stu-

ſi ſtudium & contentio mea in ſubditorum meorum ſalute tuenda caſtè integreque ſemper verſata propriæ meæ conſervationis ſolicitudini non præponderaſſet. Equidem, Domine, ſic arbitror, quod ſententia aliqua pręcipiti & inconſiderato judicio ſemel pronunciata facilius deplorari quam revocari queat. Proclivitas illa mea ad Regni pacem, ſubditorumque libertatem promovendam, quæ commodi mei proprii curam longè excellit, tandem illud me à vobis contendere impellit, ut, quoniam utramque concernentia quædam mihi dicenda ſunt, antè ſententiæ pronunciationem in pictâ Camerâ à Dominis & Communitatibus mihi audientia impertiatur. Dilatio hæc nullo pacto vobis detrimentum aliquod afferre poteſt, quamcunque rem etiam effatus fuero. Si æquitati convenientia non dixero, qui me audiunt, judices eſſe debent. Eorum, quæ dixi, ipſe Iudex eſſe nequeo. Si mea dicta ab æquitate devia non fuerint, & re ipſa Regni ſalutem, & ſubditorum libertatem ſpectaverint, auditu digna fore indubitanter mihi polliceor. Propterea obſecro, & obteſtor vos per amorem illum, quo ſubditorum libertatem, & Regni paçem vos amplecti dicitis, quod etiam verum eſſe ſpero, ut mihi antè ſententiæ pronunciationem audientiam petitam permittatis. Unicum hoc peto, ut circumſpecta conſideratione hæc excutiatis. Forſan ante hac non audiviſtis. Si vobis placet, aliquandiu hinc ſecedam; interim rem perpendere poteritis. Si hanc à vobis libertatem impetra-

petrare non potero, interpoſita conteſtatione denuncio, libertatis & paeis oſtentationes has veſtras pulchras nuda & inani pulchritudine exterius ſplendere, & nos Regem veſtrum audire nolle.

Dominus Præſes dicebat; Illa, quæ Rex dixerat, à Iuriſdictione Curiæ declinationem quærere, ac in hac ipsâ re antehac ipſi certos limites conſtitutos eſſe.

Rex verò inſtabat dicens; Ea quæ dicendo proponere vellet, neutiquam Curiæ jurisdictionem defugiendi causâ ſe dicturum, quandoquidem Regni Pacem & Populi libertatem attinerent.

Præſes. Domine, Quæ nobis propoſuiſti, non planè nova ſunt, quanquam primâ vice in Perſonâ Curiæ obtuliſti. Et poſtea: Quamvis, quę inſtando peteret, defugium aliquod præ ſe ferre videantur, Curiam tamen ſecundum ea, quæ Rex petere videretur, ſeceſſuram, & ipſum Curiæ voluntatem intellecturum eſſe.

Curia itaque ad aulam Gardenobles ſecedente, armorum Accenſo præcipiebatur, ut captivum abduceret, ac poſtea reducendum curaret.

Poſt dimidiam diſceptatione contritam horam Iudicum Senatu ex camera aulæ Gardenobles reverſo, Regem revocatum Præſes ſequentibus verbis alloquutus eſt.

Domine. Placuit tibi Curiæ proponere, quod Dominis, & Communitatibus in Camera picta congre-

congregatis ea referre velles, quæ Regni pacem ſpectarent. Re ipſa reſponſionem accepiſti ante Curiæ diſceſſum, qui pro forma tantum factus eſt.

Nullam enim in hac re difficultatem occurrere putabat. Ad ea quæ tu propoſuiſti, & etiam ad propriam ſuam authoritatem attendit. Curiæ reſponſio hæc eſt, Quod jam nimis diu à te dilata ſit. Iudices à ſuprema authoritate conſtituti ſunt, nec diutius quis judices remorari poteſt quàm ipſi jus denegare poſſunt. Optima verba ſunt in antiquo Anglæ Charter; *Nulli negabimus, nulli condemus, & nulli differemus juſtitiam.* Sed unusquiſque animadvertit, quod & contemptu & defectu tuo ipſam remoratus ſis. Dudum ad cauſam hanc ſententia debita finiendam progredi potuiſſet. Idcirco nulla habita ratione eorum, quæ ſuſpicatus es, judicio & ſententia rem expedire decrevit. Hoc in Supremo Conſilio unanimi conſenſu initum eſt decretum.

Rex. Domine, novi quod diſputando aquam in cribrum ingeram. Scepticus non ſum, qui diffitear poteſtatem quam habetis. Satis potentiæ vobis eſſe ſcio. Domine, nullo modo inficiari poſſum, quod credam, ad regni pacem multum adjumenti allaturum fuiſſe, ſi tantum operæ & negotii ſumſiſſetis ut poteſtatis & authoritatis veſtræ cum legibus Regni convenientiam demonſtraſſetis. Quantum ad dilationem attinet, quam petii, dilationem eſſe fateor, ſed magni momenti ac ponderis, ac multum ad Regni

pacem conferentem. Non enim meam ſolius perſonam, Sed Regni ſalutem & incolumitatem reſpicio. Veteri proverbio dicitur, quod multo antea meditari & perpendere res magnas debeamus, antequam ſubito aliquid ſtatuamus. Propterea Domine iterum dico, quod omnes ex præcipiti ſententia emerſuras calamitates ante fores veſtros collocem. Fateor, quod mea quidem opinione totam ſeptimanam hîc commoratus ſim. Hodiè octavus elabitur dies ab eo, quo huc veni. Sed unius aut alterius diei pro craſtinatio brevis pacem ſuppeditare poſſet; cum è contrario ex deproperato judicio erumpens ſententia ſubitaneo & in conſiderato impetu ſuo ejusmodi perturbationes, & calamitates tàm durabiles, de quibus vel foetus nondum natus conquereretur, Regno huic accelerare queat. Propterea pro officio Deo & Regno meo debito iterum peto, ut ſermoni meo ad Dominorum & Communitatem aures in Camerâ Pictâ, aut alia aliqua aditus præbeatur.

Præſidis reſponſio docebat, poſtulata ejus præſentia à præcedentibus non diſſidere, ſed eodem cum illis eſſe, eaque de cauſa Curiam expectare, quidnam ante dicturus eſſet, quàm ad ipſam ſententiam pronunciandam accederetur.

Rex. Hoc dico, quod ſi dictis meis aures veſtras præbueritis, me nullo in dubio verſari, quin Populo meo ſatis facturus ſim. Idcircò à te peto per horribilem illum ultimi judicii

judicii diem, quo tibi olim ratio reddenda erit, ut ad huc semel considerare velis.

Præses. Si nihil aliud habes, quod dicas, Curia ad sententiam ferendam procedet.

Rex. Nihil aliud mihi est, quod dicam. Hoc tantum modo peto, ut ea quæ hic dixi notentur.

Præses. Sententiæ fundamenta declarare & exponere incipiebat, dicens; Quod Curia officio suo satisfacere decrevisset, quod Rex verbis suis rei pretiosæ, quæ Pax nominaretur, mentionem fecisset, ac nihil magis optandum fuisset, quàm ut Deus seriis de pace Regni recuperanda & restituenda cogitationibus animum ipsius complevisset, & revera ipse pacem aucupatus fuisset, quemadmodum jam illam expetere præseferat, & verbis venari videatur. Quod Curiæ jam satis superque innotuerit, quod erroneas vias pererraverit. Imperium enim suo dolore, & detrimento hoc sensisse; Curiam eâ de causâ summo dolore affici, eamque ob occasionem quemvis in Angliâ intellectu præditum eadem tristitia angi, & ex cruciari. Legem ipso superiorem esse, & in gubernando ipsum legibus parere debuisse. Hoc dissidium & discrimen semper agitatum fuisse, quibusnam legum interpretatio competeret; ipsine & asseclis extrà justitiæ Curias versantibus, an verò ipsis Curiis & judiciis justitiam ex legum præscripto exercentibus. Imò Supremam Iustitiæ Senatum, Angliæ nimirum Parlamentum non solum summum legis interpretem,

tem, verum etiam solum & unicum esse legis latorem, illudque contra omne jus & fas evenire, si Rex cum asseclis suis se ipsi opponeret. Concedi quidem illud, quod nonnulli ex ipsius asseclis dixissent, *Rex non habet parem in Regno*, sed tamen contrarium iterum reponi, ipsum *Minorem universis* esse, quamvis *singulis Major* sit. Barones olim, cum Reges Tyrannos agerent, ab ipsis rationem exegisse ac frænum posuisse. Si Barones hoc tempore officio suo deessent, ac suum Regnique honorem ex memoriâ deponerent, quod antiqui facere religioni duxerant, Communitates tamen Angliæ ea, quæ conservationem, securitatem, suique status certitudinem concernunt, nunquam non in memoria habituras esse. Si Rex ad contrarium scopum collimet, ipsi hoc sciendum esse, quod concreditum sibi munus tantum gerat, & Curiæ soli id negotii detur, ut de malefico Gubernatore supplicium sumat. In causa diffidii inter ipsum & Populum suum intercedentis dirimendâ legem hanc non recens natam, sed antiquissimam Iudicis officio fungi. Hoc jurisjurandi à Rege præstiti argumentum esse, & si Populo tyrannide gravato nullum aliud remedium suppeteret, Parlamentum Populi gravaminum & difficultatum sublevandarum, & tollendarum causa constitutum omnibus ejusmodi angustiis officii sibi commissi ratione mederi debere. Singulis annis, ut in antiquorum authorum scriptis legere est, binas congregationes parlamenta agere debere, ut quavis occasione

occasione incidente subditis prompta auxilia suppeditari possent. Regem Parlamentorum destructionem & abrogationem animo proposuisse, & Parlamentum dissolvisse, eò quod Scotiæ Regno ipsi hæreditario jure subjecto bellum inferre noluerit. Regis actiones nullo pacto abludere ab actionibus Caligulæ magni illius tyranni olim Romam tyrannide sua excruciantis, qui optavit, ut Populus Romanus unum tantum collum haberet, quò illud uno ictu dissecare posset. Nihil enim esse, quod Angliæ totius corpus repræsentet, quàm Parlamentum; hoc si delere potuisset, ipsum quidem statim etiam Angliæ caput & collum amputaturum fuisse. Nulla nova exempla esse,quę doceant, Populum, si quando potestatem in manibus habuit, Reges suos ad rationem actionum suarum reddendam cogere ausum fuisse. Nimis longum fore,si ex Hispania, Gallia, Imperio Romano, aliisque regionibus petenda, & in medium adducenda essent. Unum Arragoniæ Regni exemplum sufficere, in quo unum virum tanquam *in medio positum*, & magnum privilegiorum populi custodem, inter Regem & Populum arbitrum constitutum, Regis Magistratum agnosci. In statu Regni Angliæ Parlamentum hodie idem esse, quod Ephori olim in Laconicâ, & Tribuni in Romanâ Republicâ fuissent. Ut extranearum historiarum mentionem faciat, non opus esse; si tantum Twedam Fluvium transiret, in Scotiæ Regno ad Regem hæreditario jure devoluto satis multa exempla occur-

occurrere, & filiorum quidem Tergusii primi Regis, quorum in pupillaribus annis adhuc constitutorum cum major natu ad pacem minus proclivis esse videretur, ac patruo suo Regnum administranti se opponeret, repudiatus, & minor natu rex electus est.



VERA

VERA ET PERFECTA
ENARRATIO
OMNIUM ACTIONUM WESTMONASTERII CONTRA MAGNÆ BRITANNIÆ REGEM XX, XXII, XXIII, ET XXVII JANUARII CELEBRATARUM, UT ET EXECUTIONIS, QUA XXX. EJUSDEM MENSIS DIE ANNO cIↄ Iↄc XLIX VITA ORBATUS EST.

A Magnæ Curiæ ſcribis de verbo ad verbum charta conſignatarum, & ipſius Parlamenti authoritate Londini in lucem editarum.

Diverſa item memoratu digna acta ante & poſt obitum regis celebrata, ac verba ipſius ultima in Theatro pronunciata.

CARO-

CAROLUM STUARD
Primum hujus nominis Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Regem, gloriosa Innocentia mortem oppetentem 30 Januarii 1649. comprehendit.

Alios magni nominis proceres Regem secutos exhibet.

Ducis HAMILTONII, Comitis Hollandiæ, & Domini Capel &c. 19. Marty 1649. securi vita spoliatorum executiones.

1 *Regis Caroli* I. *prosapiam, vitam & obitum.*
2 *Ejusdem declarationem, cum ex Insula Vecti discedere cogeretur.*
3 *Concionatorum nonnullorum Literas ad Fairfaxium datas.*
4 *Concionatorum Londinensium & aliorum extra*

extra urbem Londinum habitantium defensionem Apologeticam.

5 *Decretum Parlamenti judices constituens, judicumque catalogum.*

6 *Actionem* I. *Regis accusationem comprehendentem & xx Januarij contra eum institutam.*

7 *Actionem* II. *vigesimo* 2. *Januarij peractam.*

8 *Actionem* III. *eodem vigesimo* 2. *Ianuarij celebratam,*

9 *Actionem* IV. *& ultimam vigesimo* 7 *Januarij Regem Sententiâ pronunciatâ capitis condemnantem.*

10 *Regis Argumenta adversarios refellentia, quorum pronunciationem liberam judices impediverunt.*

11 *Actionem Executoriam, qua Rex Vitâ spoliatus est: Verba Regis in Theatro pronunciata: & ejusdem Exequias.*

12 *Decretum de nullo Rege alio renunciando.*

13 *Legatorum à Potentissimis Belgij Vniti ordinibus in Angliam missorum diarium.*

I.

REGIS CAROLI I
Prosapia, vita, & obitus.

CAROLUS STUARD primus hujus nominis *Angliæ*, *Scotiæ*, *& Hyberniæ Rex* anno sexcentesimo suprà millesimum decimo nono Maii in Scotiâ natus est. Pater *Iacobus Sextus* hujus nominis tunc temporis *Scotiæ Rex* post *Elisabethæ Angliæ Reginæ*, quæ decimo quarto Maii anni tertii suprà millesimum sexcentesimum diem obiit, obitum eodem anno Londini *Angliæ & Hiberniæ rex* renunciatus est à Parlamento, quod ex *Reginæ Elisabethæ* mandato & voluntate ultimâ ipsi Regnum obtulit. Mater erat *Anna Frederici* II. *Daniæ Regis* filia, *Christiani* IV. nuper defuncti *Regis Daniæ* soror, & *Frederici* III. *Regis Daniæ* præsentis amita.

Vicesimo septimo Martii St.V. anni millesimi sexcentesimi vicesimi secundi à meridie tribus aut quatuor horis post obitum Parentis sui *Londini*, ac per totam *Angliam*, & reliqua Regna postea magna Subditorum lætitia & exultatione Rex proclamatus est.

Tandem trigesimo Januarii styli veteris, aut nono Februarii styli novi anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono *Londini* in theatro publico antè *Withal* securi vitam finivit, cum quadra-

quadragesimum nonum ætatis annum ageret, & viginti quatuor annos regno præfuisset.

II.

REGIS MAGNÆ Britanniæ Declaratio

Cum ex insula Vecti Discederet, tradita uni ex ministris, ut publici juris facta subditis suis satisfaceret.

QUando largis & prolixis prætextuum velamentis actiones debiles, & infirmę operiuntur, magno conatu magnæ nugæ aguntur, & ex maximis laboribus minimi fructus prodeunt. Cum magni momenti res ad finem properant, omnium hominum aures pruriunt; & quasi famelicæ rei eventu expectato expleri gestiunt. Annon mente turbata hæc Natio sub tyrannidis & oppressionis jugo sponte accersito diu ingemuit, & querulos gemitus eructans omnis sanguinis hoc septennio profusi culpam in me detorsit? Hinc potissimam cruciatuum partem exauto, qui minimam culpæ portionem sustineo. Nonne jam necessitas urgens postu-

laret, ut huic potiſſimum rei meditatio ſeria impenderetur, quonam videlicet pacto diluvium præſens obturatum ceſſaret, antequàm nimium accreſcens pleniſſima calamitatum inundatione Nationem hanc obruat, & ſuffocet? Quodnam autem calamitoſiſſimis his diſſenſionibus remedium ſalubrius, ſecurius, & certius adhiberi potuiſſet, quàm ut tractatione & tranſactione perſonali ab utraque Parlamẽti mei Domo mihi conceſſa, & permiſsâ ſopirentur. Profectò affirmare poſſum, eâ opinione me imbutum fuiſſe, nullum cum hoc remedium paria facturum, niſi effectui ejus ſalutari violento & tyrannico imperio cuncta proſternentis & conculcantis exercitus oppoſitio infeliciſſima & perverſiſſima obſtitiſſet. Exercitus inquam, qui in literis ſuis demonſtrantibus ac pares non habentibus temerariâ audaciâ me capitalem ſuum hoſtẽ appellare audet. Sed totius mundi judicio ęquiſſimo negotium hoc excutiatur, & conſideretur, an in hac ultima tractatione omnis mea opera, & contentiorem ipſam ſeriò non attigerint, & ego ad concedendum non æquè promptus, atque illi ad petendum proclives fuerint. Cuncta tamen hæc ſaturare non potuerunt eos, qui ambitioſis ſuis cupiditatibus plus quàm imſerrimæ Regionis ſaluti & incolumitati indulgent. Nonne tabeſcentia, & calamitatibus ſenſim emorientia ſubditorum meorum corda hac tractatione tanquam ſalutaris alicujus roris ſpe recreabantur, & refocillabantur? Quàm ſubitò autem ex tantæ expectationis ſpe miſeri mei

ſubditi

ſubditi dejecti ſunt? Nonne ante hac vitio mihi vertebatur, quod nimis pauca Parlamento concederem? Num igitur jam è contrario condemnabor, quod nimis multa ipſi indulſerim? Nonne ob belli ſuſcitati culpam in me tranſlatam captivitatis miſeræ anguſtias & difficultates decoquere coactus ſum? Jam paci conſtituendæ inhians æquè peccare dicar? Anteà Rex regio imperio præfui: Num tanquam mancipio alicui viliſſimo mihi jam imperabitur? Antea jucundiſſimo Chariſſimæ uxoris, & liberorum conſortio in pace & tranquillitate fruebar; an jam & ipſis, & pace privari debeo? Annon anteà ſubditi mei debitam oboedientiam mihi præſtitêre? Num jam ipſis parere cogar? Annon anteà mihi vitio ducebatur, quod malos conſiliarios mecum habuerim? Nùm igitur jam mihi exprobrabitur, quod nonniſi Deum habeam, qui mihi conſilio ſuo ſuccurrit? Miſeria eſt, quam effari non poſſum.

Non mihi ſi linguæ ſint centum, oraque centum. Quantò magis paci & concordiæ inhio, tantò minor conatuum & moliminum meorum pacem ſpectantium ratio habetur. Quo pacto inpoſterum vobis aliquid largirer, qui ipſi in petendo cum dubia hæſitatione confligtantes neſcitis, quid petere velitis. Conſcientias veſtras teſtes appello, quæ teſtificari poſſunt, me in actionibus his cunctis veſtris petitionibus ſatisfeciſſe. Si contrarium me feciſſe animadverteritis, onus mihi incumbens me ferre ſinitote. Sin verò deſiderium veſtrum explevi, quod à

me factum esse certo scio, vestri muneris profectò est me ex furiatorum horum hominum, quorum cogitationes Sanguinis profusionem somniant, & moliuntur, in saniâ eripere. Quanquam machinationes suas zelo quodam fucato vestiunt, lupi tamen sunt ovillo amictu incedentes. Ut ulterius progrediar, mihi porrò manifestandum est, nihil meo judicio paci & tranquillitati diu speratæ & magno desiderio expectatæ majori obstaculo esse posse, quàm illegitimas actiones eorum, qui statu mutato ex ministris heri & magistri evadere sperantes in Monarchiæ locum Democratiam substituere conantur. Necessitatis inevitabili lege cardinalium legum, quæ status hujus bases, & columnæ sunt, mutatio non solum alios, sed etiam illos ipsos funditus evertet, & in perniciem, atque internecionem deturbabit. Qui gladio sibi imperium acquirere tentant, gladio tandem etiam interibunt. Factiosorum hominum divisio pernicies mater exitium parit. Indoles est eorum, qui vertumnum æmulantes instabili cerebro suo non nisi mutationes & novitates versant, & nil nisi ad tempus probant. Nimis multæ, & crebræ mutationes sensuum oeconomiam turbant cerebro prudentiæ arci ignorantiæ & stultitiæ tenebras offundunt, ac faciunt, ut modò hanc stultitiam oderint, modò illam amplexibus suis foveant, &c.

Dum vitant stulti vitia, in contraria current. Remedium factionibus ejusmodi tollendis nullum tempore certius, & melius inveniri potest. Tempo-

Temporis enim progreſſu inſtar lepræ alicujus totum corpus pervadentis integram alicujus Regni ſtructuram inficiunt, atque in tantum odium adducunt, ut ſibi ipſis tandem odio eſſe incipiant, & more piſcium eſcæ inhiantes hamo capiantur. Unum reſtat, de quo ſubditos meos adhuc certiores faciam neceſſe eſt. Deus novit, an hæ ultimæ futuræ ſint vices, quibus ſerio ſtudio pacem appetii,& omnes meas cogitationes ad nullum ſiniſtrum ſcopum collineantes unicè ad tranquillitatem communem direxi, nec ullum eorum intermiſi, quorum faciendorum conſcientiæ meæ ductus mihi copiam fecit. Deum teſtem invoco, me firmiter autumare. Exercitus interceſſionem tanquam malitiæ nubem pacis ſplendori jam Regnum hoc radiis ſuis illuſtrare incipienti inſtar eclipſeos alicujus umbram integram objeciſſe, eumque penitus obſcuraſſe. Totus mundus judex eſto, ac judicato, an æquum ſit, ut Exercitus aliquis Regni ſuffragiis ſe opponat, & defendendæ legis & libertatis prætextu utramque peſſundet, pedibuſque conculcet. Actiones ejuſmodi miras alias conſequentes pariant, & omnis corruptionis miſeriæ & perniciei feneſtras aperiant oportet, ut momento citius Regnum hoc proſternant. Si proprio motu hanc pacis tractationem urſiſſem, ejuſdem curſum ut inhiberent, longè majorem & commodiorem occaſionem nacti fuiſſent. Verum quoniam importunis utriuſque Parlamenti mei domus flagitationibus compellatus ſum, utraque autem à

maximâ Regni parte ad importunitatem illam mihi exhibendam coacta est, non potui, quin voluntate meâ propensâ & promptâ ipsarum operis tam utilis perficiendi desiderio suffragarer. Spero, Subditorum meorum corda & oculos jam eo pacto apertos esse, ut clarè eos videre, & agnoscere queant, qui hanc tractationem machinationum suarum cuniculis subruere moliti sunt, & adhuc moliuntur. Quantum ad me attinet, in Dei Opt. Max. conspectu testificatione publicâ denuncio, peculiares meas ærũnas, quamvis tantæ sint, ut nullo incremento indigeant, tantis angoribus animum meum non excruciare, quantis cruciatibus subditorum meorum miseriæ ipsum angunt. Jam enim scio, in quo fiducia mea mihi collocanda sit, quod ipsi hactenus nesciunt. Deus ipsis, & mihi solatio sit, & pro miseriarum & oppressionum nostrarum modulo nobis patientiam largiatur.

Ubi ultimum malitiæ filum ab inimicis meis ducendum restiterit, hoc sciant, me divinâ gratiâ ad patiendum & tolerandum tàm paratum ac promptum esse, quàm prompti & parati ad me calamitatibus, & cruciatibus afficiendum ipsi existunt. Mea ipsius anima mihi præsagit, nubes ipsas vindictam in capita eorum, qui tanquam interstitium hujus pacis progressui se objecerunt, instillaturas esse. Si Deus benedictionis suæ pronunciatione pacem colentibus & componentibus benedixit, necesse est, ut ejusdem inimici, & ruptores execrationem divinam cervicibus suis accersant. Meo Deo gratias

gratias ago. Contrà furorem, & rabiem ipſorum me armavi. Invidiæ telis me jam petant: Pectus habeo, quod illa recipiet, & cor quod patientiâ armatum illa feret. Deus enim eſt rupes mea, & ſcutum meum, non timebo, quicquid homo mihi fecerit. Peſſima expectabo; ſi quid ſecus evenerit, quàm expecto, Deo honorem tribuam. Auxilium hominis vanum & caducum eſt.

C. R.

III.

LITERÆ VERBI

Divini miniſtrorum in Londinenſi diſtrictu, quorum nomina hic ſubſcripta ſunt,

A quibuſdam eorum, qui nomina ſua ſubſcripſerunt, XXVIII Januarii anno CIↃ IↃC XLIX. ſummo militiæ Præfecto traditæ,

Ut ſummo exercitus conſilio redderentur.

EXcellentiæ tuæ & cæteris Conſiliariis placebit, &c. Quoniam nuper diverſæ appli-

cationes tàm ſcriptis exhibitæ, quàm ore pronunciatæ concionatores Londinenſes, (aut aliquos eorum) invitarunt, ut cum Exercitus præfectis congregati de Religione Colloquia, & tractationes inſtituerent, Nos Euangelii in Londinenſi provinciâ miniſtri congregationes tales, uti indictæ erant, recuſare & denegare noſtri muneris eſſe duximus. Et ut Excell. Veſtram, & Conſilium militare de recuſationis iſtius cauſis certiores redderemus, ne ex ſilentio noſtro fortè conjectura aliqua ſumi poſſet, & intellectum, & puritatem nobis deficere, quibus tamen unuſquiſque, præcipuè autem verbi Divini præcones præditi eſſe debent, has literas ad Vos exarare conſultum arbitrati ſumus. Poſtquam enim ad aures noſtras permanavit, quoſdam fratrum noſtrorum in collatione & diſceptatione in Veſtrâ, & conſiliariorum quorundam veſtrorum M. Mareſchal, M. Calamy, M. Whitaker, M. Segdwick etc. præſentia, ut & aliâ itidem cum quibusdam ex præfectis veſtris M. Whitaker M. Calamy, M. Ash etc. inſtitutâ, & habitâ apertè profeſſos eſſe, ſe non modò actionem illam ultimam contrà honoratæ Domus Communitatis in Parlamento membra honorabilia plura inſtitutam, verum etiam ea, quæ veſtrum in diverſis hujus Regni rebus conſtituendis conatum concernentia Demonſtratione, & Declaratione veſtrâ ultimâ promulgaſtis, non probare (ut nobis ex relatione quorundam eorum, qui hoc teſtari volunt, innotuit) operæ precium duximus, ut conſenſum noſtrum cum dictis fratribus
oſtenda-

ostendamus, & vobis patefaciamus, humili petitione contendentes, quoniam libertatem Legatis Christi concessam usurpamus, ne propositio hæc nostra insequiorem partem rapiatur, & ità intelligatur, quasi ab iis profecta esset, qui legis Christi limites egressi sunt. Nobis in mandatis datum est, ut exclamemus, & voce nostra tubæ sonum imitemur, ut Populo malefacta sua, & domui Iacobi peccata sua denuncientur.

Si ejus modi collatio à nobis postulata fuisset, qua jussisfuissemus inquirere, num viæ inquibus jam ambulatis, cum Dei Verbo convenirent (quæ res profecto personis privatis auditu gratissima fuisset, & facili responsione à Verbi Divini ministris expediri potuisset) prompta voluntate judicium nostrum, quemadmodum dicti nostri fratres fecerunt, consilium vestrum tangens exposuissemus, sententiamque nostram Sacræ Scripturæ dictis firmatam Vobis tradidissemus; Nimirum, quod loco ulteriorum in viis talibus à recto deviis progressuum considerare debuissetis temporalem & divinam præventionem eorum, quæ Divini Verbi regulam apertè oppugnantia jam effectui dedistis.

Et si hujus rei purgandæ tantum causa collatio aliqua postulata, & requisita fuisset, jam ab initio à nobis decretum fuerat, ut non inviti sed prompti adessemus, & ad eum locum nos conferremus, qui cumque & à quibuscunque ad hanc rem destinatus esset, ac judicium & sententiam nostram defenderemus, ac tueremur. Sed perinde acsi vestrarum viarum justitiam & æquita-

æquitatem jam permisissemus, eum tantum in finem vocamus, ut vobis adjumento essemus in iis, quæ jam constiture & stabilire incepistis, & nos tamen extra forum vestrum esse confidimus. Et si nostras cum vestris consultationibus in ejusmodi casibus conjunxissemus, rei evasissemus mali, quod in iis latet, & nos aliorum peccatis commaculavissemus. 1.Tim.5.v.22. Contrarium nos docet Apostolus, qui nobis mandat, ut *ab omnis mali specie abstineamus, nec commercium habeamus cum sterilibus tenebrarum operibus, sed ea potius reprehendamus.* 1.Thess. 5.c. v.22. Ephes.5.c.v.11.

Vulgo jam innotuit, ut præteritos errores silentio prætereamus, quibus consiliis & machinationibus Authoritati legitimæ vos opposueritis: præcipuè opera Demonstrationis, & Declarationis vestræ ultimæ contrà Parlamentum publicatæ, cui accedunt Regis abductio, & captivitas invito & inscio Parlamento facta, & à naturâ abhorrens violentia postrema, quâ ejusdem Parlamenti membra violastis, plusquam centum eorum (numerus certus nobis incognitus est) sessionem debitam in curiâ supremâ vi prohibuistis, & haud paucos ex iis in vincula conjecistis. Viri sunt notæ honestatis, & authoritatis, de quorum honestate liquidò nobis constat, utpote quam amore suo & benevolentia, quâ Regni hujus salutem complectuntur, abundè testificati sunt. Præterea incipitur fabricari nova Regiminis forma novis legibus in veterum sedem migrantibus constans, quam vos *Repre-*

senta-

ſentativam vocatis, & in omnium futurorum Parlamentorum locum ſubſtituitis. Eam per totum Regnum à ſubditis Regiis ſubſignari vultis, & quidem ſub prætextu & titulo *contractus, aut conventionis cum populo* initæ, ut patet ex ultima veſtra Demonſtratione 26. Novembris Anni 1648. promulgata. Idcircò non poſſumus, quin judicemus, & pronunciemus omnes has machinationes contrarias & è diametro oppoſitas legitimæ Magiſtratuum noſtrorum, quorum tutelæ Deus nos commiſit, authoritati, & muneri, ac oboedientiæ noſtræ, quibus nos tàm divinarum & humanarũ legum, quàm multiplicium noſtrorum juramentorum, & obligationum ratione ipſis devincti ſumus. Propterea muneris noſtri eſſe arbitramur, potius extremam noſtram diſplicentiam & execrationẽ his conſiliorũ malorum fabricationibus & ſtructuris objicere, quam eas conſenſu noſtro probare.

Sententiæ Salomonis haud immemores ſumus: *Timete Deum, & Regem, nec iis vos aſſociate, qui mutationes appetunt*; Dicti etiam, quo Paulus 2. ad Theſſalonicenſes 3. dicit; *Abſtrahite vos à quovis fratrum, qui vitam immoderatam degit, & inſtitutionibus, quas à nobis accepit, non paret.* Inſtitutionum, ſeu Conſtitutionum à Paulo acceptarum una eſt ad Titum 3. *Moneto ipſos, ut magiſtratibus & poteſtatibus ſe ſubmittant, iiſque debitam oboedientiam præſtent. Omnes animæ poteſtatibus ſibi præfectis ſubjectæ ſunt. Nulla enim poteſtas niſi à Deo. Omneſque poteſtates, quæ ſunt, à Deo ordinatæ & inſtitutæ ſunt. Qui Poteſtatibus obſtrepit,*

obstrepit, ordinationi Divinæ se opponit, & huic qui se opponent, judicium sibi ipsis accersent.

Timor itaque Domini (cujus ordinatio violatur, quando nos Magistratibus adversamur, timidos nos reddit, ac impedit; quominus nos adjungamus iis, qui sine ullius legitimæ authoritatis prætextu suis tantum viribus freti ejusmodi mutationes & novitates accipiunt, quemadmodum hi faciunt. Vehementissimis igitur moeroribus, & curis angimur, atque excruciamur, cum videmus; Exercitum authoritate Parlamenti collectum, ut Regni privilegia, Religionem, leges, & libertatem propugnet, in communem perniciem ea perpetrare, quæ sibi commissis è diametro contraria sunt.

Nobis ex memoriâ non exciderunt præcipua origo, ac fundamentum verum hujus belli, ut & causæ, propter quas Parlamentum arma in manus sumpsit, Hæ tanti momenti fuerunt, ut nos ad conjunctionem cum ipso impulsi hactenus illud deserere, aut ab illo desciscere non possimus. Meminimus etiam, cum Rex magnâ armatorum multitudine instructus parrum & cum eorum, qui sub imperio vestro sunt, non comparandum numerum ex membris Parlamenti vocaret, & res ad Privilegiorum omnium amissionem totiusque Regni interitum spectaret, quem agendi modum Parlamentum tunc temporis usurpaverit; Pater ille ex decreto domus communitatis decimo tertio Ianuarii anno 1641. promulgato. Nam cum ex quibusdam tantum Regis Sermonibus intellex-
issent;

ifset, quedam ex membris Parlamenti iisdem dilignari, ità decrevit; *Siquis se exhiberet retentione aliqua, aut alio aliquo impedimento alicui ex membris Parlamenti molestiam creaturus, antequàm eidem Parlamento rem manifestavit, & à Domo illa legitimæ actionis approbationem accepit, Legibus consentaneum esse, ut ejusmodi membrum se tueatur & defendat secundum contestationum denunciationes ad privilegiorum Parlamenti defensionem.*

Apparet item ex Declaratione 26. Januarii Anno 1641. publicata *Detentio alicujus membri in Parlamento sine legitimis actionibus contrà illud institutis, & sine consensu ejusdem Domus, cujus illa persona membrum est, subditorum Libertati repugnat, ac privilegiorum Parlamenti ruptura est. Et ille qui aliquam harum personarum, aut ullum aliud Parlamenti membrum detentione vexabit, apertus Boni Publici hostis esse declaratur, & judicatur.*

Violatio privilegiorum Parlamenti Principium erat, & scaturigo, ex qua primò militare præsidium manavit posteà in exercitum necessitate ità postulante mutatum. Sed quod Exercitus ipsius Parlamenti authoritate paratus, & conservandi ejus causa collectus eò tendere deberet, ut actio tunc temporis probata jam à nobis improbetur, omni æquitati repugnat.

Ac quamvis utraque Parlamenti Domus cum Rege unum summam hujus Regni authoritatem sibi commissam procurans corpus constituens armorum sui defendendi causa capessendorum occasionem perspicuè viderit, ut nimirum malis consiliis Regi à suis consultoribus subministratis obviam

obviam iret, Religionem Proteſtantem ab omni periculo, cui variorum errorum, diverſarumque novitatum obrepentium culpa exponebatur, ſartam, tectamque conſervaret, atque leges & conſtitutiones totius Regni firmamenta, quibus infringendis variæ inſidiæ ſtruebantur,in tutò collocaret;Non tamen harum actionum æquitas aut iniquitas examinanda in veſtrum forum cadit, utpote qui cum Magiſtratibus comparati privati homines tantum eſtis, nec authoritate in Regem & Parlamentum uti poteſtis, neciis de rebus laborare debetis, quæ vos non attingunt; Ut ſunt leges divinæ, naturales, & civiles, earumque firmamenta, ac communis univerſi corporis uno regimine comprehenſi de quibuſvis rebus & actionibus conſenſus. Quod ſi contingat, ut ii, quibus univerſi corporis curandi provincia demandata eſt, exercitu aliquo conſcripto & collecto de libertate Status aut Regni alicujus defendenda curam ſuſcipiant, illud tamen ad privatarum perſonarum congeriem aliquam, licet illud efficiendi potentiam & vires habeant, neutiquam pertinet.

Præterea quanquam Parlamentum, ut ſe ac privilegia ſua tueretur, atque Religionem, Leges, & libertatem ab omni periculo tutas præſtaret, armis uſum fuit, non tamen eo animo hoc fecit,ut Regis Perſonam violaret,aut Regia ſua authoritate & Regio Iure,tanquam propriis ſuis poſſeſſionibus denudaret, ut ex multiplicibus ejus Declarationibus eo fine publicatis liquidò

quidò constat. Multò minus decrevit totam Regiminis formam, constitutionesque, quibus totius Regni salus & incolumitas tanquam columnis subjectis innititur, abrogare, & evertere, aut ejusmodi quid faciendi peculiaribus aliquot personis authoritatem, aut potestatem largiri.

Ea de causa confitemur, officii nostri esse, ut hoç pacto in conspectum vestrum prodeamus, & defendamus Religionem, leges, libertates, constitutiones, atque totius Regni stabilitum Regimen ab una parte contrà omnes malignos consultores, & machinatores in Regis arbitrio solo tyrannicam potestatem constituere conantes; & ex altera parte contrà omnia illegitima privatorum hominum consilia, ex quibus propria ipsorum pernicies, anarchia, discordia, profanatio, & Religionis error scaturiunt.

Ad hæc autem præstanda, & integra nostra initia modò dicta firmius confirmanda diversorum juramentorum & universalium confoederationum per totum Regnum initarum vinculis devincti, & obligati sumus. Manifestum est ex publica contestatione 15. Maii Anno 1641. denunciatâ: *In omnipotentis Dei conspectu & præsentia promittimus, juramus, & contestamur vigore confoederationis nostræ, quod corpore, viribus, & bonis nostris Regiæ suæ Majestatis Personam honorem & statum, ac Parlamenti potestatem, & privilegia defendere velimus. Idem etiam apparet ex jurejurando, & confoederatione, quibus major & minor domus declararunt, tunc temporis proditoriam &*

K rebellem

rebellem Londinum, Westmonasterium & his adjuncta loca alia opprimendi, Parlamentumque armis subiiciendi machinationem in procinctu fuisse. Ac quoniam multiplicibus modis, & potentibus proditionibus bonum Publicum affligi comperiebatur, postulatum est, ut omnes patriam suam fideli amore complectentes justo & sincero illo juramento & confoederatione æquissima se devincirent, quibus declaramus, & pronunciamus, nos execrandas illas & proditorias insidias detestaturos, ac pro virili & corporum, & virium, & bonorum nostrorum oppositu propulsaturos esse. Constat quoque ex *Solenni foedere reformationis, religionis, honoris & incolumitatis Regiæ, pacis ac Regni defensionem & conservationem concernente*, quo ejusmodi conjunctione coaluimus, atque eo pacto nos devinximus, ut ejus vigore *sinceras, justas, & constantes actiones nostras omnes in Parlamenti juribus & privilegiis tutandis in Regiâ personâ, & authoritate defendenda, & conservanda, in Religione & Regni libertatibus & privilegiis tutis præstandis collocare teneamur, & totus mundus conscientiæ nostræ sinceritatem & integritatem, & quod ne minimas Majestatis Regiæ jura & potestatem diminuendi cogitationes concipiamus, testimonio suo comprobare possit.*

In quibus Obligationibus cunctis quanquam materia partim civilis esse potest, vinculum tamē ipsū, & foedus, jurejurando coalescens Religiosum, sacrum est & contemptū ab omni contemptu maximè abhorret. Quod licet nonnulli haud pluris quam calendarium aliquod faciant, illud tamen in Dei conspectu præstitum juramentum respi-

respicimus; utpote qui in ejus nomine juravimus, quod ipse à manibus nostris postulabit.

Non ignoramus quàm Zelotypo poculo, & quam forti manu Dominus compensaverit rebellem ruptionem foederis facti à Zedekiâ Rege cum Rege Babyloniæ, quanquam ipsi damnosum fuerit. Ezech. 17. cap. vers. 15. 18. 19. *An eripiet se qui facit ista? qui irritum fecit foedus, an eripiet se? Ne vivam ego, dictum Domini Iehovæ; Cum spernat exsecrationem irritum faciendo foedus, quia ecce junxit manum suam, & omnia ista facit, non eripiet se. Idcircò sic ait Dominus Iehova; ne vivam ego; nisi execrationem meam quam sprevit, & foedus meum quod irritum fecit; hoc reponam in caput ipsius.*

Propterea, cum manus nostras ad Divinam Majestatem erectas convertimus, non est cur justioris juramenti violatione iram, Domini in nos concitemus, quoniam Καρδιογνώστης est, coràm quo in extremo judicio omnium dictorum & factorum rationem reddemus.

Igitur loco consultationis aut disceptationis, quam à nobis postulatis, in nomine Domine & Magistri nostri Iesu Christi, cujus nos legati sumus, serio vos monemus, & hortamur, ut viarum vestrarum præsentium pravitatem seria & humili meditatione excutiatis, & ab iis vos avertatis. Cogitate, à quo desciveritis, in antiquam viam revertite, resipiscite, & munere vobis mandato, ut antè, fungimini. Olim spectabiles & pretiosi in nostris, & aliorum piorum doctorum oculis eratis, cum in Dei viis ambu-

laretis,& in vestro foro stabiles maneretis. Benevolentia nostrâ,auxilio nostro,& precibus nostris felicem vestrarum rerum progressui benedictionem precantibus fruebamini.Sed prohdolor ? propriam vestram gloriàm tenebrarum involucro texistis , omnemque magnificentiam vestram densissimis nubibus obduxistis. Sensuum vestrorum, voluntatisque propriæ arbitrio obtemperantes per devia erratis. Jam dicere non audemus; *Domini benedictio vobiscum sit ; In nomine Domini vobis benedicimus:* nec etiam *Avete*; 2.Joh. ver. 11. *Nam qui ipsum salutat, malorum ejus operum particeps fit.* Veremur, ne defensionis, quam veritati & Religionis ac divini cultus puritati debetis, locum desperationem supponatis, erroribus & hæresibus Verbum Dei oppugnantibus fenestram aperiatis, & pluribus audacibus & execrandis machinationibus contra Dei cultum & vias utamini : In quantum foetorem Religio mutata est à seductione vestra ? adeò ut in orbe Christiano in ludibrium & contemptum abire videatur. Quanto pudore piorum doctorum vultus suffusi, & quantis augustiis ac moeroribus corda ipsorum repleta sunt ? Inquot frusta aureum Regiminis vinculum dissiliit? Magistratuum authoritas,& honor in lutum prostratus pedibus conculcatur. Parlamentum, quod tot annorum spacio tanta animositate hostibus suis obstitit, eosque vicit, uno die ab inimicis sub amicorum specie latitantibus dissiratum & disjectum est.

Scitote, quàm expressè, & perfectè Verbum divinum

divinum nobis oboedientiam Magiſtratibus debitam injungat, dum grandi poena adjuncta ejuſmodi technas & fabricas potentiam magiſtratibus à Deo conceſſam eludentes, quales veſtræ ſunt, reprobat, & prohibet. Notæ vobis etiam ſunt minæ, & ſupplicia, quibus eos excepit Dominus, qui præcepta & leges ejus tranſgreſſi ſunt. Nota eſt vobis poena, quam Judas Apoſtolus conſtituit in eos, *qui Domini imperium deſpicatui ducunt, & magnificentiæ ejus maledicunt.* Iud. 1. v. 11. *Væ illis, dicit; Nam viam Cain ingreſſi ſunt, & deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effuſi ſunt, & contradictione Core perierunt.*

Cognita & perſpecta habetis exempla prava *Corah*, *Dathan*, *& Abiram*, qui rebellibus ſuis conſiliis *Moſi et Aaroni* magiſtratuum & doctorum perſonas gerentibus immorigeri fuerunt. Num. 16. v. 3. *Nimium in vos ſuſcipitis, dicebant Moſi & Aaroni, Nam tota hæc congregatio, ipſi omnes ſunt ſancti*, Quibus Moſes v. 11. *Propterea inquit, vos & tota veſtra congregatio eſtis congregati contrà Dominum.* Ac nullo timore perculſus toti populo dicebat. v. 26. *Recedite à tentoriis impiorum horum virorum, nec aliquid eorum, quæ ipſorum propria ſunt, attingite, ne & vos cum ipſis in peccatis ipſorum pereatis.*

Sermone hoc finito terra ſe aperiebat, & cum domibus ſuis ipſos abſorbebat, & omnes homines qui ad Corah pertinebant, cum omnibus bonis. v. 32. Rebellione hac inſignis magnæ notæ virorum numerus ſe commaculaverat, & quidem du-

centi & quinquaginta ex præcipuis Iſraelitarum Proceribus numerabantur. v. 2.

Quod in re aliqua cum Sacris literis convenit, illud Theologi Proteſtantes in diiudicanda veritate à mendacio ſemper ſequuti ſunt; cum quorum judicio nos etiam conſpiramus, & pari ratione eodem medio oppugnamus ſanguinolenta conſilia, & machinationes cruentas Ieſuitarum, quibus privatas perſonas ad rebelliones periculoſas excitant, ut horrendo parricidio Magiſtratuum ſuorum legitimorum vitæ inſidientur, & Regum cædes velamento ſpecioſo tectas horrendo auſu committant. Veremur, ne conſiliorum ejuſmodi Ieſuiticorum exordia cum aliorum plurimorum machinationibus apprimè conveniant; quibus tamen caſus ſuus maximè attendendus erit.

Age ergò, ſeriarum admonitionum ariete conſcientias Veſtras adorimur, & quidem in Divini Numinis preſentiâ, ut & corda, & vias veſtras ab impuritatibus & inquinamentis tantis puras reddatis, & vos ipſos eo pacto tractetis, quo *Nathan* Propheta *Davidem* aggreſſus eſt. Cogitate, ſi alii in hoc Regno Regiæ Majeſtatis ſubditi, quià veſtris actionibus diſſentiunt, ea perpetraſſent, quæ vos commiſiſtis, & ſine Curiæ Supremæ conſenſu, invitoque Parlamento Regiam Perſonam indigna captivitate conſtrictam de loco in locum traxiſſent, annon proprio veſtro judicio rem nec ipſi Regi, nec Parlamento tolerandam exiſtimaturi eſſetis? Conſiderate quæſo, ac intima conſcientiæ ve-

ſtræ

ſtræ miſerrimæ,& oculo Majeſtatis Divinæ vindici ſemper patentis penetralia excutite, quodnam judicium veſtrum futurum eſſet, ſi illi cum ſociis ſibi foedere junctis Parlamenti præſidia mutare, magnum ex membris & aſſeſſoribus ipſius numerum vinculis indignis conſtringere, novas prolubitu leges cudere, iiſque hoc & alia omnia Parlamenta exſtinguere, & infinita ejusmodi alia fabricare auſi fuiſſent. Si alios homines ejuſmodi actionum inſimulare vultis, Deus faxit, ut corda veſtra illuminentur, quò videre poſitis, *qui viri illi ſint.* Si anteà enormibus criminibus, & flagitiis in tolerandis Cardinalium Regni Legum mutatio, convocationis Parlamenti impedimentum, & convocati dimiſſio, & diremptio, ac Arminianis & Pontificiis obliquam libertatem indulgens conniventia accenſebatur; Multò majorum profectò criminum titulo inſigniendi erunt præſentes auſus temerarii, qui omnes Regni Leges, & cuncta regimina uno icto concidere,& diruere, moliuntur, adeò ut maximè vereamur, ne in paucis erroribus conniventis indulgentiæ ſedem maximam Religionis mutationem, omniumque ſectarum tolerantiam ſubſtitutam inpoſterum perferre cogamus, quod ne veſtrum nonnulli manibus ac pedibus obnixe moliantur, haud in exiguo metu verſamur. *Videte, ne vos ipſos decipiatis. Deus enim ludibria & illuſiones non tolerat.* Novit quàm facilè in aliis nefarii criminis titulo notetis, quod veſtri tamen reſpectu poteſtatem & efficaciam, aut potentiam nominatis. Perſo-

narum diſcrimen neſcit; Circumſtantiarum varietate favorem non metitur. Impunitas ejuſmodi actiones non dimittit. Supplicium de iis ſumit, *qui Dei jure agnito (nempè eos, qui talia faciunt, dignos eſſe morte) tamen non ſolum ea faciunt, ſed etiam facientibus applaudunt.* Rom. 1. v. 32.

Quapropter inexcuſabilis es, ô homo, quiſquis alium damnas. Num hoc ipſo, quòd damnas alterum, teipſum condemnas; eadem enim facis tu, qui alium damnas. Scimus verò, judicium Dei eſſe ſecundum veritatem adverſus eos, qui talia agunt; Qui reddet uniquique ſecundum opera ipſius, Non enim eſt perſonarum reſpectus apud Deum. Rom. 2. v. 1. 2. 6. & 11.

Hortamur Vos, ne victoriis partis nimium confidentes inſolentiores evadatis. Si Dei benedictionis beneficio vobis in viis ejus ambulantibus omnia ad votum fluxerunt, providendum jam vobis erit, ne ad vias veſtras proprias relapſi vobis ſpe falſa ſucceſſus felices polliceamini. Si Divina indulgentia propter cauſas ſibi notas conatum veſtrum ab æquitate & pietate delirantem ſucceſſu aliquo promoveret, nulla tamen conſequutione inde colligendum eſſet, actiones veſtras æquibonique titulo gaudere, ſucceſſumque ejuſmodi earum æquitatem teſtari. Idcircò non eſt, cur vos ullo rerum veſtrarum ſucceſſu efferatis. Imo nobis manifeſtò conſtat, unum ex maximis ſuppliciis eſſe, quando Deus largâ opum acceſſione hominem in peccatis ſe volutantem locupletat.

Sapientiſſimus Regum Salomo nobis ea quæ ſibi

sibi ipsi usu venerunt, commemorat dicens: Eccles. 8. v. 14. *Est adhuc vanitas, quæ fit super terram, quod sunt justi, quibus obtingit secundum opus improborum, & sunt improbi, quibus obtingit secundum opus justorum.* Ibidem v. 11. *Dico etiam illud vanitatem esse, quia nullum efficitur decretum compensatio istius mali citò: idcirco fervet animus hominum in ipsis, ut faciant malum.* Ea propter divina providentia, quæ sæpius in viis tuis stabilita est, non semper canonis, aut normæ alicujus certæ vias & actiones tuas dirigentis munere fungitur ut eam factis tuis, ejusmodi præcipuè, quæ lex divina reprobat, non modo purgandis, sed etiam firmandis obtendas. 1. Sam. 24. v. 5. 6. 7. Cum Davidi in deserto Saulis interimendi facultas se offerret, ac potestas daretur, ut capitali suo hoste perpetuis insidiis vitam suam impetente liberaretur, aulici ejus sequenti argumento facinoris licentiam adstruere conati. En inquiunt, *Iam dies venit, quo Dominus tibi dicit, vide, tibi hostem tuum in manus tuas trado, ut facias ei, quemadmodum bonum videbitur in oculis tuis.* Sed David facinus aggredi non ausus, nec suis ejusmodi quid perpetrandi copiam facere volens versu 7. respondit, *Absit mihi à Iehova, an facerem rem hanc Domino meo, uncto Iehovæ, extendendo manum meam contrà eum. Nam unctus Iehovæ est.* Iterum in Saulem dormientem incidenti eidem Davidi, En providentiam divinam, *Abisai* dicere potuisset. *Deus enim, inquit, hodiè inimicum tuum in manus tuas tradidit; sine, ut semel tantum hasta*

ipsum in terram prosternam; Non permisit David dicens v. 9. cap.26. *Ne ipsum perdas. Quis enim uncto Domini manus injecit, & innocens mansit?* Si jam Providentia facti perpetrandi certa & firma admonitio fuisset, longe aliter David actiones suas instituisset, & proculdubio inimicum suum trucidasset. Ut paucis res comprehendatur, nullum peccatum committi potest, aut nulla actio peccati titulum meretur, si hæc admonitio actionum suscipiendarum proba & vera causa impellens existit. Nihil enim perpetrari potest, nisi providentia Dei destinata occasionem & ansam præbeat.

Spiritu aliquo agi, & ad agendum incitari res est ponderis haud exigui, aut sine vel contra canones & regulas in Verbo divino præscriptas animæ motibus internis impelli, haud leve negotium existimari debet, cum in ejusmodi casu Satanæ tentationes, & Spiritus Divini operationes sibi invicem oponantur. Examine accurato eucutiatur, & indagetur, num ullæ historiæ sive Sacræ, sive profanæ ullius exempli mentionem faciant, quod impulsum ejusmodi spiritualem uno eodémque tempore in hominum multitudinem magnam incidisse, eamque simul ad actiones moralibus præceptis contrarias instituendas impulisse dicat? Item an omnes ejusmodi personæ, quæ talis spiritus instinctu aliquid agunt, cæteris, quæ eodem instinctu non aguntur, præcipere possint, ut idem agant, ad quod agendum ipsi se à spiritu illo incitari dicunt? Christianorum verorũ munus esse

novimus,

novimus, instinctus ejusmodi spirituales & internos Sacræ Scripturæ trutinâ examinare, & perpendere, num cum ea conveniant, aut ab eâ discordent, ut eo pacto innotescat, an Dei, an verò Satanæ opus sit? an etiam exturbatis hominum cordibus, & mentibus proficiscantur. *Si non loquuntur secundum legem, & testimonium hujus verbi, propterea fit, quod nulla in ipsis lux fit.* 2.Pet.1.v.19. *Apostolus Petrus Iudæis*, ad quos scribit, demonsttat *verbum scriptum, Propheticum nimirum verbum*, cujus tanquam normæ & amussis alicujus beneficio *Spiritus* sunt examinandi, & omnes ii explorandi, qui se internos ejusmodi instinctus spirituales sentire profitentur. Aliâs profectò Diaboli potentiam in animas nostras maximè firmaremus, & ipsum tentaremus, ut iterum nos tentationibus suis exagitaret.

Si præter omnia suprascripta dicitis, omninò necessarium esse, ut hoc pacto agatis, ne actio vestra, quàm præ manibus habetis, tanquam gloriosum opus, sicut jactatis, impediatur; atque idcircò has vias ingredimini, quas injustas & illegitimas vos ipsi confiteamini oportet, Nos respondemus, nulla necessitate hominem ad peccandum impelli debere. *An coràm Deo in justa loquemini? An coràm ipso fallacias loquemini?* Iobus dicit.

Nihilominus tamen hic necessitatis prætextus minimum causæ vestræ pondus adjicit, ac nos maximè veremur, ut illa, quæ consequenda vobis proposuistis, justiora & æquiora sint

iis,

iis, quæ hactenus magno conatu moliti estis, ac effectui dedistis. Necessitas, quam tanquam fulcrum actionibus vestris substernitis, maximam partem culpæ vestræ adscribenda est. In illegitimis vestris agendi rationibus nuper nullam necessitatem fuisse manifestò patet, & nos clàm non est. Parlamentum, antequàm à vobis violento impetu prosterneretur, plenum & liberum de iis, quæ foedere inito decreta, & longè antè communi utriusque Regni Parlamentorum consensu transacta sunt, summa contentione & summo studio laboravit. Intereà juramento grandi & Regiæ Personæ, & Parlamenti privilegiorum defensioni, ac tutelæ vosmet ipsos adstrinxistis. Manifestum autem est, & extrà omnem dubitationem versatur, nullam necessitatem dari, quæ legitimum jusjurandum vinculo suo solvat. *Execratio subita illum obruet, qui jurejurando falso nomine Domini abutitur.* Justissimi judicii Divini, quod juramenti præstiti violationem in perjuris vehementi poena ulciscitur, exemplum nobis proponitur in *Saule*, qui, quanquam actioni suæ bonum finem judicio suo præscripsit, & *Gibeonitas* populum olim execratione divinâ abjectum, & à Iosua ducentis annis ante in foedus Israelitarum receptum destruxit, foederis tamen ruptura & violatione hac non modo toti regno suo, verum etiam suæ propriæ familiæ & generi iram atque poenam divinam imposuit.

Seriis itaque precibus à vobis contendimus, & quidem ante faciem, & in conspectu Domini, ut

ni, ut ex viis his perversis egressi in foedere vestro stabiles permaneatis, & *Iohannis Baptistæ* doctrinam militibus præscriptam in mentem revocetis; *Neminem concutite* (vel neminem periculo exponite) *neque dolo opprimite, & contenti estote stipendiis vestris* Luc.3. v.14. Sed si in via proposita ambulationem vestram continuaveritis, neque pedem retraxeritis; *Ecce contrà Dominum peccavistis, & certi estote, quod peccata vestra vos accusabunt.* Animadvertite etiam, quando manus Domini vos obruet, & rotam in vos convertet, *sceleratі & malefici hominis poenam vobis sustinendam*, & *tanquam eos, qui aliena curant, supplicio afficiendos esse.*

Sed quando ad munus vobis demandatum revertemini, erit cur Deo gratias pro successu optato agamus, quemadmodum è contrario non erit quod metuamus minas, quibus jam aliquot ex nobis, ut ex ipsis auditione percepimus, terrorem incutere voluerunt nuncii, quibus hoc in mandatis datum fuerat, & non vos ipsi, de quibus hæc non dicimus. Minæ illæ sunt, ut sequuntur; *Si populum ad discordiam incitare non destiterimus, ac interea milites nos molestia aliqua affecerint, ut quicquid etiam sinistri nobis usu venerit, nobis ipsis acceptum feramus; Si novum bellum inde suscitatum fuerit, quod nulli ex iis veniam daturi, aut vitam condonaturi essetis, quicunque conatibus vestris sese opposuerint: Quod nec viris nec mulieribus, nec liberis, nec Anglis, nec peregrinis parcere velitis.* Verum si propositio hæc nostra planè sterilis omni fructu sperato caruerit, muneri

muneri nostro demandato satisfecimus, & animas nostras proprias ut speramus, liberavimus. Si casus nos opprimat, & ad ferendum ea, quæ nobis sinister rerum eventus imponet, cogat, instar Christianorum verorum cuncta tolerabimus, & patientiâ animum nostrum armantes patiendo benè agemus, utpote qui probe novimus, *ærumnosam ejusmodi crucem patiente animo toleratam Deo gratam, & acceptam, sanctorumque mortem in oculis ejus preciosam esse. Humilium enim, & oppressorum clamores & ejulatus non obliviscitur.* Aliquot ex nobis per nuncium à vobis transmissum significatum quidem est, *quod si nos cruciatibus, & ærumnis subjicere velimus, satis multas nobis exantlandas fore.* Veruntamen probè nobis innotuit; *Deum illum, cui nos servimus, satis potentem esse, ut nos liberet, cujus tutelæ & voluntati, postquam mandato nostro munere functi sumus, animas nostras commendamus.*

Atque ita zelo & studio gloriam divinam spectante permoti, ut provinciam nobis non ab hominibus, sed à Deo demandatam bona conscientiâ obiremus, ac animarum vestrarum saluti æternæ consuleremus, apertè & manifestè judicium nostrum de vestris actionibus præsentibus ex cordibus vestris mero affectuum cœcorum turbine afflatis promanantibus declaravimus. Si Deo placuerit reformationem hanc vestram ad exitum speratum deducere, erit, de quo nos & omnes Ecclesiæ Christi Deo gratias agamus. Verum si è contrario peccatorum nostrorum, & totius regni puniendorum causâ vos mi-

vos miſeriarum, & confuſionis, ad quas tanquam ad ſcopum omnes veſtræ actiones collineant, inſtrumenta adhibuerit, cum *Ely* dicemus; *Dominus eſt, faciat, quæ ipſi placuerint.* Sed meliorem de vobis ſpem concipimus, & nomina noſtra ſubſcribimus. 27. Ianuarii Anno 1649. Servi veſtri in Domino.

Tho: Gatakar concionator in Rotherhith, &c.

APOLO-

IV.

Apologetica Defensio Verbi divini ministorum in urbe Londino, & circa eam Habitantium.

Contra injustissimas calumnias Priorum Literarum Parlamento exhibitarum occasione sibi aspersas, quasi capitale hoc Regis supplicium accelerassent.

Cum brevi admonitione ad Ecclesias suas, quas ad foederis jure jurando stabiliti conservationem hortantur.

Esaiæ 62. cap. ver. 1. *Propter Tzijonem non tacebo, & propter Ieruschalaima non quiescam: donec prodeat ut splendor justitia ejus, & salus ejus ut lampas ardeat.*

Proverb. 24. cap. ver. 21. 22. *Reverere Iehovam, fili mi, & regem: cum variis ne commiscetote: Nam repentè consurget calamitas eorum &, Oppressionem istorum amborum quis novit.*

NEminem latere potest, quantis doloribus & cruciatibus nos, & alios in horum Regnorum

gnorum urbibus & locis verbi divini præcones, qui Parlamento ſumma fidelitate, & obſequio fideliſſimo hactenus adhæſimus, malignarum linguarū foediſſima ſpicula lacerarint, & quanta injuria pennæ libellis famoſis injuſtiſſima mendacia credentes verberarint, & quidem ab initio calamitoſiſſimarum ſimultatum, & portentoſi belli inter Regem & Parlamentum in feliciſſimo auſpicio ſuſcitati; Quo hactenus durante oboedientia noſtra, quam decretis & mandatis utriuſque domus, dum cum Regiâ Majeſtate in litibus & pugnis verſatæ ſunt, præſtitimus, paſſim malè audivit, & foedis conviriis inquinata eſt.

Minimè nos fugiunt muneris demandati fines egredientia molimina Prælatorum, atque aſſeclarum eorundem, qui civilibus rebus imminentes, ac dominationi politicæ inhiantes Regnum in diſcrimen maximum adduxerunt, præcipuè cum privato ſuo commodo occœcati, ambitioſis ſuis conatibus ſeducti, vindictæ foeda cupiditate incenſi, & aliis malis cupiditatibus ſtimulati functionis impoſitæ orbitâ relictâ ad aliena ſe declinarent, & falcem ſuam in alienam meſſem immitterent. Nulla tamen ratione quis inficiari poteſt, ut quidem nos animum noſtrum inducimus, concionatorum tanquam ſubditorum, qui cum cæteris legibus parere, & Regni libertatibus ac privilegiis tutela ſua patrocinari debent, æquè ac alioram maximè inter eſſe, ut leges ac privilegia ſarta actecta conſerventur, ac proinde

non minus ipsis,quàm aliis incumbere,ut,omissâ poenarum ac suppliciorum justorum Polypragmonibus & multorum malorum architectis irrogatorum exploratione,in legum & privilegiorum communitati toti, cujus ipsi membra sunt, competentium defensione & conservatione operam suam præstent, præcipuè verò in ejusmodi rerum nostrarum constitutione, cum omnia ad mutationem se inclinant, ac ruinam subitam minatur. Imò cum Verbi Divini præcones agant, neutiquàm silentio obmutescere debent inprimis eo tempore, quo Gubernatorum ac Magistratum æquè ac aliorum peccata Divinæ iræ fomenta subjecerunt, ac Domini indignationem justissimam cervicibus suis accersiverunt. Ob eandem tamen causam, quia muti esse noluerunt, cunctis illis temporibus, quibus Satanæ, & instrumentorum ejus malitia superior bonos & pios homines conatu horrendo opprimere molita est, fideles ministri Domini nostri omnium malorum architecti & fabri publicè renunciati sunt ab accusatoribus & calumniatoribus suis, qui ipsi utrique culpæ affines non modo ligna futuro igni struendo suppeditarunt, verum etiam incendium ipsum excitarunt, ut regnum incensum uno ictu in aëre dissiparetur.

Achab cum parasitis suis neminem aptiorem indicabat, qui *destructionis in Israele* exprobrationem, & culpam ferret, quàm *Eliam* prophetam. Pontificiorum machinatio *proditionis pyrii pulveris* adjumento exequendæ, si succes-

sisset,

fisset, culpam in *Puritanos* derivare conabatur. Si *Tertullo* credimus, ipse *Paulus* ab inimicis & incredulis pessimus hominum appellatus modò seditionis author, modò Sectariorum caput & princeps audiebat, & in toto mundo malorum culpam ferebat. Imò *Christus* Dominus noster Monarchico Regimini addictus, & *Romanorum* Ethnicorum imperium approbans *Cæsaris* tamen inimicus dicitur, & insimulatur, quod ad interitum ejus aditum patefaceret, cum tamen malitiosi ipsius conviciatores, qui nunquam de *Cæsaris* commodo laborabant, sed contrarium conabantur, illud idem facinus, cujus culpam in Dominum nostrum conferebant, designarent.

Quamvis verò nostra, qui rem ipsam revera experti sumus eamque probè cognitam atque perspectam habemus, parum intersit, si proprias nostras personas privatim & peculiariter respicimus, ut ab hominibus judicemur, quandoquidem, si pater familias *Beelzebub* appellatur, multò magis ejus domestici nominis dicti participes futuri sunt; nihilominus tamen, cum in memoriam revocamus, quantum Magistri nostri referat, & omnium salutem concernat, ut munus, atque functio nostra ab omni macula pura & immunis conservetur, & nominis atque famæ nostræ integritas ejusdem respectu æquè aliis necessaria sit, ac nostra nobismet conscientia est, nihil aliud, quod aggredi audeamus, nobis restat, quàm ut animorum nostrorum integritatem, omniumque actionum no-

ſtrarum, quæ Regem, atque Regnum concernunt, & tot ac tantis conviciis in peſſimam partem rapiuntur, innocentiam tueamur, & defendamus.

Quod ut hoc tempore faciamus, maximè impellimur à quam plurimis, qui liberè quidem ſed tamen admodum injuſtè nos onerant convicio admodum horrendo, quo antehac inſtrumenta fuiſſe, & Regis mortem promoviſſe dicimur. Accedunt plures allii, qui non modo nequiſſimis ſuis libellis famoſis, & ſcriptis conviciorum pleniſſimis nos coràm mundo calumniis horrendis proſcindunt, verum etiam lingua ſua venenata, ac dente Theonino rodunt, nos ſanguinis avidam ac ſeditiones excitantem ſectam appellantes, ac dicentes, quod proditoriis noſtris impedimentis omnia ea impediamus, & remoremur, quæ omnes pii in Regno ſubditi Religionis reſtituendæ, & pacis recuperandæ cauſa appetunt, quoniam in Regis executione ancipiti dubitatione hæremus cum tamen, ut falsò clamitant, eo contenti ſimus; quod ipſum convicerimus, & condemnaverimus. Has calumnias omnes ut ſeriâ contradictione à nobis amoliamur, neceſſitas nos urget, quibus etiam coràm toto mundo jam contradicimus.

Cum prima vice nos cum Parlamento conjungeremus non quidem ſpontaneo motu, ſed vocati, ſerio animo, & puro ergà Regem ac poſteros ſuos amore hoc faciebamus, tantum abeſt, ut perſonam ipſius damno aut malo aliquo

quo mulcare voluerimus; Hoc tantum quærebamus, ut adverſarii ipſius impedirentur, quo minus Regno majus damnum inferrent; non autem ut Regia Majeſtas ipſa Juſtitiæ traderetur, quemadmodum nonnulli jam loquuntur, ſed potius melior Juſtitiæ adminiſtrandæ occaſio ipſi reſtitueretur, & mali ac pernicioſi homines ab ipſo removerentur; ut thronus ipſius juſtitia ſtabiliretur & firmaretur, non verò ipſe ex throno ejectus horrendâ cæde vitâ privaretur, quod facinus valdè veremur, ne paratiſſima ad omnium horum Regnorum internecionem via futura ſit. Quod noſtrum aliqui prima vice in Parlamento comparuerint, propoſitionis & decreti de pecunia & argenteis vaſis conferendis 12. Junii Anno 1642. pronunciati occaſione factum eſt. Tum temporis firmâ pollicitatione nobis promiſſum eſt, quantumcunque etiam pecuniæ & argenti collatum foret, nulli alii rei impenſum iri, niſi Religionis Proteſtantis, authoritatis Regiæ, Perſonæ ipſius, dignitatis Regiæ, Juſtitiæ liberæ, legum Regni cardinalium, Pacis generalis, & Parlamenti privilegiorum conſervationi, & defenſioni contra quamvis poteſtatem, quæ ſe his omnibus oppugnatione aliqua obiicere vellet. Atque in hâc certitudine noſtra indies magis ac magis confirmabamur tot declarationibus & proteſtationibus ſe invicem magno numero conſequentibus, quibus nos ut fidem haberemus, muneris noſtri ratio nos obſtrictos putabamus, ut pote qui probè noveramus, multos

 ex ipſis

ex ipsis religiosos & conscientiæ puræ studiosos vioros bonum publicum seria promotione augere, atque huic rei uni summo studio animorumque contentione incumbere, ut tandem Regnum hoc ex tyrannidi & servitute, in quam nonnulla perversa, & perniciosa instrumenta in Regio comitatu versantia Regnum præcipitare conabantur, eriperent, & in libertate pristinâ stabilirent.

Sed postquam præsentibus actionibus Westmonasterii tot Parlamenti membra exclusa & ejecta, & diversi assessores capti sunt, alii verò se à reliquorum consortio segregaverunt, ac utriusque Domus conjunctio jam non est, qualis anteà fuit, planè contenti esse non possumus, utpote qui persuasum habemus, quod tantum à legitima, quæ faciunt, faciendi authoritate absint, ut nostrâ sententiâ omnes eorum actiones tendant ad universalem mutationem, si non eversionem ejus, quod honoranda Communitatis Domus in declaratione suâ 17 Aprilis anno 1646. nos docuit appellare fundamentalem hujus Regni constitutionem & gubernationem, quam se nunquam mutaturum, si rectè rem intelligimus, firmissimè affirmavit. Imò nos ipsos fortissimo officii nostri vinculo Deo, Religioni, Regi, Parlamento, atque Regno devinctos esse arbitramur, ut coràm Deo, Angelis, & hominibus apertè fateamus, indubitanter, ac firmiter nos credere, negotium illud, quod in procinctu jam stans valdè metuitur, Regis nimirum mortem præsenti juris actione

actione procurandam, non modò cum Verbo Divino Religionis Proteſtantis nunquam adhuc vel minimâ ſanguinis Regii guttula maculatæ fundamento, ac hujus Regni conſtitutione & gubernatione, cui corpus univerſum innititur, non convenire, verum etiam è contrario adverſari juramento fidelitatis, conteſtationi publicæ, 5. Maii anno 1641. factæ, ac ſolenni jurejurando confirmato foederi, quibus cunctis & ſingulis vinculis nullius in terrâ poteſtatis interventu nos, & alios ſolvi poſſe firmiter aſſeveramus.

Cum ultimo foedere, & conjunctione animos noſtros firmiſſimâ concordiæ copulâ combinaſſemus, manibus ad Deum omnipotentem elevatis juravimus, quod omni juſtitiâ & concordia quiſque mandatum ſibi munus obiens etiam bonorum & ſanguinis noſtri objectu & jacturâ Parlamenti jura & privilegia, Regnorum libertatem, & Regiæ Majeſtatis Perſonam, in cujus defenſione Religionis veræ & libertis Regnorum tutela conſiſtit, tueri, defendere, ac conſervare velimus, ut totus mundus conſcientiis noſtris teſtis accedens fidelitatem noſtram, & quod ne minima quidem cogitatione Regiæ Majeſtatis juſtam potentiam & magnificentiam minuere cupiamus teſtificari queat.

Ejuſdem foederis articulus alius arcto adhuc vinculo nos conſtringit, ut nec apertè nec obliquè ullis conjurationibus perſuaſionibus, aut terroribus nos divelli patiamur ab hoc bene-

dicto, & salutari foedere, nisi ab eo desciscentes nos ad contrariam partem conferre velimus, aut etiam recipere cupiamus ad execrandam illam partem indifferentem, in hac rerum constitutione, & in ejusmodi statu, in quo Dei gloria, Regnorum salus, & Regis authoritas & Majestas maximè aguntur. Vt itidem toto vitæ nostræ decursu in eodem foedere unanimi consensu stabiles permaneamus, omnibus eidem adversantibus nos opponamus, illudque ab omnibus impedimentis defensum pro virili nostra promoveamus. Jusjurandum, quo nos sanctæ omnium in foedere hoc servandorum observationi obstrinximus, non solùm ipsi præstitimus, sed maxima etiam nostrum pars Parlamenti jussu alliis illud proposuimus, eoque illos ipsos perinde ac nos in universalis hujus foederis communionem pertraximus.

Foederis igitur hujus inter nos initi rationem habentes Dei Optimi Maximi, cui nos omnes accuratam villicationis nostræ rationem reddamus necesse est nomine monemus & hortamur omnes, qui vel immediatè ad ministerium nostrum pertinent, aut alio aliquo modo ab eo dependent, aut quibus suprascripto foederi se associare authores fuimus, (ne silentio nostro ipsos horrendum periurii peccatum designare permittamus) ut in viis à Deo præscriptis, & Religionis, legum, ac promissionis canonibus & regulis constantibus animis perseverent, in veræ Religionis reformatæ, & hujus Regni Constitutionis & gubernationis defensione & tutela

tutela ſtabiles permaneant, nec ullis mediis à foedere ſemel conſtituto ſe abduci ſinant, ut nuperrimè excogitato & à populo approbato modo ſeu regiminis formæ *ab utraque Parlamenti Domo, quantum ad ſubſtantiam ejus attinet, anno 1647. declaratæ & pronunciatæ, quod Parlamento & Gubernationi interitum minetur, & etiam antehac à ſummo militum Imperatore ipſo, Conſilioque ejus bellico, quod ea de cauſa militem eam promovere conantem, ut ſclopetis confoderetur, condemnavit, reprobatæ* ſubſcribant: Formæ inquam iſti, quæ ad Regni hujus gubernationem fundamentalem evertendam rectà tendit, ac aditum præbet univerſali tolerantiæ admittenti omnes hæreſes & blaſphemias directè ſe noſtro foederi opponentes, quarum patronos & defenſores iſtius formæ architecti in ſocietatem ſuam adſciſcere ſtudent, ut eo pacto ſub libertatis Religioni Chriſtianæ conceſſe prætextu latitare queant. Omnes etiam hortamur ut in Parlamentorum privilegiis ac foedere ſanctiſſimo, quo utrumque Angliæ & Scotiæ Regnum in pulcherrimum corpus coaluit, conſervandis & retinendis omnem operam collocent; ut amarâ & ſeria poenitentiâ non ſolum propria ſua, ſed etiam Urbis, Exercitus, Parlamenti, & Regni totius peccata defleant, & inprimis miſerentur miſerandos errores Regis ipſius, (quos nonniſi multos & magnos agnoſcere poſſumus,) adminiſtrationis ſuæ tempore commiſſos, qui tribus his Regnis tanti conſtiterunt, ipſumque Regem ex Majeſtatis ſuæ

throno in in tàm horribilem & profundum miseriarum omni ferè exemplo carentium barathrum præcipitaverunt. Ut à Deo seriis precibus contendant, ut ipsi in horrendas haræ rumnas devolutæ veram poenitentiam largiri, ac amaritudinis plenum hunc calicem à Divina ira infusum, & Divinæ providentiæ permissu in manus traditum adimere, & potestatem hominum efferam refrænare velit, ne in considerata temeritate, & effrænata audacia Domini & Regis sui sanguinem profundant, & perniciem atque interitum huic Regno accersant.

Jam autem non sine ratione expectamus, ut ij, qui foedere tàm sancto nos copularunt, & ejusdem occasione ad hujus præsentis defensionis, ac sententiæ nostræ manifestationem, ac conscientiarum nostrarum liberationem necessariam impulerunt, nos in tàm justa causa patrocinio suo defendant. Quocunque res etiam abitura sit, firmiter in animum nostrum induximus, quod in eorum numerum referri malimus, qui ejus Majestatem extimescunt, & reverentur, à quo tanquam igne consumente omnes foedifragi horrendis poenis & suppliciis afficiuntur, quàm in eorum consortio offendi, qui jusjurandum parvi facientes foedus in Domini nomine conflatum, ac jurejurando elevatis ad coelum manibus præstito firmatum infringunt, quasi civilitantum ratione ac cum vulgo initum sit.

C. Burgers D. Th. concionator in Paals Lond, etc.

Non

Non esse ,ìcur recenseat, quod ex centum & novem Scotiæ Regibus populus poenas inflixerit, eorum nonnullos in exilium mittens, alios in vincula concjiciens, & quosdam etiam vitâ ipsa privans. Nullum regnum maleficorum, & officio suo non satagentium poenisque meritis maleficia sua luentium Regum exempla crebriora suppeditare. Exempla conquirendi causa non longè abeundum esse: Recens aviæ hujus regis occurrere, quę regni clavum deponere jussa filium infantem ejusdem hujus regis patrem successorem vidit. Nec Angliam exemplorum penuria laborare, cum Eduardi secundi, & Richardi secundi Regum exempla sint notissima. Eum qui historias ipsorum accurata mentis lance excutiat, proculdubio animadversurum, crimina quorum illi accusati sunt, cum hujus Regis maleficiis capitalibus neutiquam componi posse. Apertum item & manifestum esse quoad hæreditariam successionem, dimidiam partem Regum viginti quatuor post Conquæstorem Ordinum Regni beneficio coronam consequutam esse.

Juramentum ejus in coronatione ab ipso præstitum manifestare, actionem & contractum inter ipsum & populum intercessisse.

Postquam Præses hæc atque multa alia de Regum potestate, ipsorumque in jus vocatione, ut de fidelitatis juramento non servato rationem reddant, in medium adduxerat, atque exposuerat, quo pacto Rex corâm judicio præsenti accusatus criminum in simulato-

rum

rum reus, atque tyrannus, proditor, homicida, & publicus communis Causæ, ac boni publici hostis esset, porro Curiæ nomine indicabat, omnes ex animo optare, ut eorum, quæ designasset, seriam poenitentiam ageret, & Deus melioris ejus partis, id est animæ miseresceret. Alteram verò ejus partem corpus nempè quod attineret, sui muneris esse, ea facere, quæ leges præscribant. Se non *juris dandi* sed *dicendi* causa adesse. Oportere se memores esse eorum, quæ sacra scriptura dicat, *Nocentem dimittere perinde horrendum esse, ac innocentem condemnare.* Reum nullo pacto absolvere possumus. Regem debere jam audire sententiam sibi prælegendam, quæ contineat poenam lege tyranno, homicidæ, ac regni aperto inimico irrogandam.

Sententiam membranæ inscriptam scriba legebat.

Sententia in Regem pronunciata.

Siquidem Angliæ Communitates nos in magna Iustitiæ Curia assessores & judices constituerunt, ut in CAROLUM STUART *Angliæ regem actionem institueremus, & ipse tribus diversis vicibus criminum commissorum postulatus est, primo accusatio proditionis summæ, & aliorum criminum & facinorum ipsum insimulans prælegebatur, quam hic prælegendo iteramus.*

Accusationem ab initio positam iterata lectione scriba repetebat.

Accusatione hac prælecta CAROLUS STUARD *monitus est, ut ad ipsam responderet; sed responsionem*

ſponſionem dare recuſavit : His dictis compendioſè ea, quæ in reſponſionis recuſatione durante actione geſta erant, repetebat ac tandem ſententiam ipſam ſubjungebat;

Propter quas proditiones, & quæ maleficia judicium hoc CAROLUM STUARD *tanquam tyrannum, proditorem, homicidam, & publicum hoſtem damnatoria ultimi ſupplicii ſententiâ morti adjudicat, ut caput ipſius à corpore ſeparetur.*

Poſt ſententiam lectam Præſes dicebat; Sententia hæc modo lecta & publicata totius Curiæ Sententia, judicium, & decretum eſt. Quibus verbis auditis tota Curia ſurgens ea, quæ à Præſide dicta erant, communi conſenſu approbabat.

Rex. Placetne, Domine, unum verbum audire.

Præſes. Domine, poſt ſententiam pronunciatam nulla tibi audientia concedi poteſt.

Rex. Non, Domine?

Præſes. Non Domine, permiſſu tuo Domine. Excubiæ captivum abducite.

Rex. Mihi poſt ſententiam loqui licet. Cum venia, Domine, Omninò mihi poſt ſententiam loqui licet.

Cum venia (expecta) Sententia, Domine ..... Dico, Domine ..... Ego ......

Mihi omnis loquendi facultas adimitur. Quid juris alii homines aliquando habituri ſint, tempus docebit.

Præco. Omnes, quibus aliud quid negotii eſt, hinc diſcedere, & in picta Camera, in quam

quam Curia hæc mox ſe conferer, expectabit.

Curia autem ſurgens abiit. Rex excubitoribus ſuis ſtipatus in Domini Roberti Cottonis ædes, ac inde in Witte-Hall ſe recipiebat.

ARGUMENTA

Regis magnæ Britanniæ putato juſtitiæ ſenatui de Rege judicando antè Sententiæ pronunciationem oblata, ſed non admiſſa, ut vel ore efferrentur, vel ſcripto exhiberentur:

Quibus Curiæ dictæ, & Iudicum conſtitutio, ac omnium actionum in Regem habitarum inſtitutio illegitima, & juribus Regni fundamentalibus repugnans demonſtratur.

Conteſtationem meam putatæ huic Curiæ denunciatam hactenus oppoſui, &, ideò, cum nulla in terris poteſtas ſit, quæ me Regem veſtrum in judicium jure protrahere poſſit, hujus rei nomine verbum ullum facere amplius plane deſinerem, ſi negotium me ſolum, & unum attingeret. Verum quoniam

muneris

muneris mihi à Deo concrediti vinculo cum libertatis Populi mei conservatione copulatus sum, silentio reliqua præterire prohibeor. Qua enim ratione ullus Angliæ liber subditus vitam, aut quæ cunque possidet pro prietatis jure sibi competere dicet, si potentia sine jure novas leges quotidie prolubitu ferre, & antiquas, fundamentalesque Reni leges abrogare potest? Hoc in præsenti nostra causa fieri dico. Propterea, cum huc venirem, illud unicè expectabam, ut mihi quoad fundamenta hæc justa me accusationi vestræ imaginatæ respondere impedientia satisfaceretis. At quamvis animadvertam, ea quæ dicturus sum, vos nullo pacto commotura esse, & quanquam Negativa *difficilius probantur, quàm affirmativa, pauca tamen vobis argumenta proponam, quæ me certissimum reddunt, penes vos non esse sententia aliqua vel minimum & vilissimum Regni subditum capitis condemnare, Cum huc usque loquendo pervenissem sermo mens abrumpebatur, & plura loqui prohibebar tantum abest, ut idem in Regem vestrum vobis exercesi liceat. More & consuetudine vestra opinionem aliquam nullis argumentis autrationibus munitam subditis meis obtrudere non conabor.*

Nullæ actiones in aliquem intentari, aut justæ etiam apellari possunt, nisi illæ, aut legibus Divinis congruæ, aut legibus in Regione usitatis conformes sunt. Firmiter autem, & sine omni dubitationis scrupulo animum meum induco, quod hujus diei actiones, quibus oppressus sum verbo divino neutiquam stabiliri, & defendi queant contrarium potius ex Sacris literis manifestè patet; & Regum authoritas, debi-

debitaque ipsis obœdientia expressis Spiritus Divini mandatis tàm in Veteri, quàm Novo Testamento & firmantur, & præcipiuntur. Cujus rei veritatem si quis negare ausit, equidem mox eam sacri textus testimonio afferam. Eccles.8. v.4. Sapientissimus Salomo *Ubicunque, inquit, verbum Regis est; ibi dominatio, ecquis dicat ei, quid facis?* Si leges Regni testes accedere debent, haud minus certus sum, nullum Iurisconsultum peritum, & exercitatum affirmaturum esse, ulla accusatione Regem aliquem gravari posse aut debere. Unus etiam ex canonibus ipsorum est; quod *Rex nullam injuriam designare, aut committere possit.* Huc accedit, quod maximè notandum, Legem nimirum, quam actionibus vestris tanquam fundamentum substernitis, necessariò aut antiquam, aut novam esse. Si antiqua est, eam testimoniis probate; Sin verò nova, dicite mihi quænam authoritas Cardinalibus Regni legibus innixa eam condiderit, ac quonam tempore illud factum sit? Sed quonam pacto Communitatis Domus Justitiæ Senatum aut Curiam instituere possit, cum ipsa nunquam talis fuerit, ut omnibus Jurisconsultis probè & apertè constat, Deo, & toti terrarum orbi judicandum relinquo. Æquè mirabile auditu etiam esset illi qui nunquam de Regni Angliæ legibus quicquam audivit, quod sine Baronibus, & Rege legum quamcunque fabricam imaginatam sibi licere autument. Posito etiam, sed non concesso casu, quod in Delegatorum Populi

puli Angliæ poteſtate ſitum ſit vos ejusmodi poteſtatem, quam vobis ipſis opinione veſtra attribuitis, participes reddere, non tamen video, quod ejus rei teſtimonium exhibere vel poſſitis, vel velitis. Ex decem Regni ſubditis ne uni quidem hanc controverſiam propoſuiſtis, cum tamen etiam minimum aratorem injuria afficiatis, ſi ipſius hoc in negotio conſenſum non requiritis. Nequè etiam huic delegatæ veſtræ Juriſdictioni, quam arripuiſtis, ullum prætextum quantumvis ſpecioſum prætexere poteſtis ſine conſenſu vel minimæ Perſonæ in Anglia, cujuscunque etiam conditionis fuerit, quod tamen tentare nunquam vos auſos fuiſſe certò ſcio, ut non dicam quod ullo unquam tempore ejusmodi conſenſum generalem, & univerſalem acceperitis.

Hinc videre, & colligere poteſtis, quod non ſolum pro meo jure proprio jam vobiſcum in contentionem veniam, ſed etiam juſtiſſimæ libertatis populi, & ſubditorum meorum cauſam agam. Certè libertas hæc in diviſione poteſtatis & regiminis non conſiſtit, ſed in vivendi ratione ejusmodi legibus ſubjecta, ex quibus optima & certiſſima vitæ incolumitas, & proprietatis bonorum ſecuritas manare poteſt. Hic oblivioni dare non debeo, nec etiam obliviſcor utriuſque Domus Parlamenti privilegia, quæ ante harum actionum irruptionem non modo perfidè violata ſunt, verum etiam violata fidei & fidelitatis publicæ maximam corruptionem, ac perfidiam ſummam, qualem ante hac

M nunquam

nunquam auditam esse credo, procrearunt. In utramque Domum culpam non confero. Absit, ut hoc faciam. Omnium enim istorum maleficiorum ex cogitatorum accusationem, ut ex ipso die adscripto luculenter patet ante ultimam tractationem Nieuporti institutam machinati sunt; tractationem inquam illam, quam pro virili mea terminare conatus sum, & etiam terminavi. Dum vero utriusque Domus approbationem, & conclusionem magna spe exspecto, subito & in expectato impetu opprimor, atque captivus abripior. Ea igitur de causa invitus huc adductus sum, & postquam huc veni, intermittere non potui, quin antiquas Regni leges, ac Populi libertatem cum jur.bus & prærogativis meis, quantum quidem in me situm fuerat, de tuerer ac defenderem. Jam, prout ex iis, quæ hactenus gesta sunt, coniicere possum, Domus superior penitus omni authorite exuta est. Inferiorem autem Domum seu Communitatis domum quod attinet, nemo est cui non in notu erit, potissimam ejus partem aut ejectam esse, aut præ metu sedilia sua occupare non audere; quæ res profecto tanti est momenti, ut si non aliam contestationis justissimæ causam & occasionem haberem, hæc mihi ad contestationem meam Curiæ huic vestræ authoritatis arreptæ speciem præ se ferenti denunciandam & opponendam vel sola maximè sufficeret. Præter omnia hæc Regni Pax & Tranquillitas haud parum me solicitum habent. Quænam stabilis aut constantis ali-

tis alicujus ſtatus ſpes eſſe poteſt, quando *potentia nullis legum limitibus definita dominatur*, ac totam regiminis ſub quo Regnum hoc pluri- mis abhinc annis florentiſſimum ſemper fuit, ſtructuram immutat. Silentio involvam ea, quæ conſequutura ſunt, ſi effrenes & injuſtæ hæ actiones in me ad finem conſtitutum perducantur. Mihi credite; Angliæ Communitas pro mutatione hac occoepta exiguam gratiam vobis habebit. Nunquam enim ex memoriâ deponet florentiſſimum & auguſtiſſimum ſtatum, in quo verſata eſt, cum Eliſabetha Regina, Iacobus Rex pater meus, & ego hujus Regni clavum teneremus: Felicitate illâ tandem infelicibus his turbis ex Regno exterminatâ & in maximas difficultates & ærumnas mutatâ ſubditi jam metuendi maximam occaſionem habebunt, ut unquam ſub novo ejusmodi regimine fortunatiſſima ſua vivendi ratione iterum compotes futuri ſint. Ex tempore autem felicitatem dictam ſequuto manifeſtè & aperte vobis patere arbitror, quod nullum aliam ob cauſam, quam ut leges Regni fundamentales ab interitu vindicarem, ad arma me contulerim, poſtea quam ii, qui me oppreſſerunt, ſimul etiam antiquam regendi formam turpi metamorphoſi immutarunt.

Atque hæc ſunt argumenta illa, hæ ſunt rationes illæ ponderoſæ, propter quas Curiæ huic authoritatem ſibi non competentem arroganti ſine muneris mihi à Deo impoſiti, ac Populi mei ſalutis & libertatis læſione & violatione me

ſubmittere non poſſum. Idcircò à Vobis expecto, ut aut manifeſtis rationibus actionis veſtræ judiciariæ jus firmetis, & me erroris mei convincatis, (quo facto ad reſpondendum vobis promptus ero) aut eâdem actione mihi intentatâ ſuperſedeatis.

PRECATIO REGIA CAROLUS STUAD magnæ Britanniæ Regis, quam in carcere propria manu litteris mandavit.

O Rex regum, qui coelum & terram plenitudine tua comples, qui æternæ vitæ fons & ſcatebra es, in quâ nulla mortis umbra reperitur. Tu Domine, & juſtâ nos morte ex miſeriarum hac valle avocas, & in eâdem morte per Servatorem, & Salvatorem noſtrum ab æternâ morte vindicas. Longè ſatius eſt, ut in hâc vitâ nobis ipſis moriamur, quam nobis ipſis viventes te Domino noſtro ſpoliemur. Da, quæſo, ut ex multiplicibus meis ærumnis & cruciatibus, quas tanquam homo & Rex ſuſtineo, in animâ meâ, tanquam homo verè Chriſtianus tuæ ſingularis gratiæ, & conſolationis fructus & commoda perſentiſcam. Domine, ſi tu mihi præſtò fueris, nullius mali ſenſu afficiar,

ciar, quamvis per mortis vallem & umbram mihi tranſeundum ſit. Cum morte conflictari hominis virium propriarum debilitate, & corporis mortalitate concidentis; Eandem verò ſuperare, tuæ ſolius eſt gratiæ, qui Omnipotens, & immortalis Deus es. Mi Servator, qui noviſti, quid ſit inſtar hominis pro me mori, me etiam doces, quid ſit tecum, mi Deus, per mortem in vitam penetrare. Quanquam mihi moriendum ſit, ſcio tamen, quod tu liberator meus vivas. Quamvis me ferias, animum tamen mihi addidiſti, ut æternæ vitæ fructum me conſequuturum confidam. Amorem & favorem tuum omni vitâ me liores mihi ſubtrahere noli. Ne procul à me recedas quam crudelis & horrenda mors mihi immineat, novi. Quemadmodum omniſcientia tua, Domine, ſe hic manifeſtat, ita etiam omnipotentia tua omnes conatus eorum, qui interitui meo inhiant, & ſanguinem meum ſitiunt, ad nihilum redigere poteſt. Per voluntatis ipſorum malitiam voluntatis tuæ bonitatem mihi demonſtra. Non modò veniam mihi das, ut tanquàm homini mihi orare liceat, *ut hic calyx à me auferatur*; verum etiam me tanquam Chriſtianum Chriſti Servatoris mei exemplum imitantem hæc verba adjungere docuiſti; *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Imò Domine fac, ut mea & tua voluntas una ſit, & utraque in unam redeat. Vivendi cupiditatem in me exſtingue, & ſuſcita ſummum in me deſiderium faciendi voluntatem tuam, aut tolerandi, ut eadem in me & vivente

& moriente fiat. Quemadmodum firmiter credo, omnes vitæ meæ errores, omniaque peccata mihi abs te remissa esse, ità etiam spem firmissimam concipio, quod à mortis terroribus & anxietatibus me custodies. Largire mihi gratiam tuam, ut in nulla alia re magis acquiescam, quam in reliquenda mundi hujus vanitate, ut omnia re ipsa in te, qui Christum mihi viventi lucrum, & morienti commodum fecisti, possidere queam. Quamvis inimici mei officii sui tibi ac mihi debiti obliviscantur, misericordia tamen tua, Domine, ipsorum inconsiderans & temerarium peccatum tegere non obliviscitor. Quid commodi ex sanguinis mei profusione, Regnorumque meorum in vasione percipiunt, si animas suas proprias perdunt? Qui non solum potentiæ meæ justissimæ obstiterunt, verum etiam eadem in perniciem & interitum meum abusi sunt.

Ne ipsos à facie tua reiicias, quamvis ejusmodi rejectionem forsan meriti sunt. Fecisti, ut Filius tuus multorum à quibus in crucem agebatur, Servator esset, dum ipsorum violentam tyrannidem voluntaria & spontanea patientia toleravit. Esto vox & clamor sanguinis ejus longè efficacior ad restinguendum peccatum, quod percussores mei cæde corporis mei committunt, quam sanguinis mei ejulatus qui vindictæ clamore eos ad poenam meritam citat. Præpara animas ipsorum ad gratiam tuam recipiendam verè ipsos peccatorum suorum convincendo.

vincendo. Ne permitte, ut proprias suas animas pessundent, ac in æternam damnationem præcipites agant justitiæ falsæ fallacibus verbis seducti, (quorum impulsu me opprimere cupiunt, utpote qui injustam suam potentiam in me usurpantes unicum hunc scopum semper propositum habuerunt, ut summa & extrema violatione me aggrederentur. Domine, nosti, quod misericordiam ipsorum ergà me fucatam & fallaciis plenam, ac crudelem deprehenderim, cum perfida conservationis meæ simulatione pernicie: & interitus mei cupiditatem tectam perfidè dissimulaverint. Non tanquam sanguinis siti laborantes, & ex fallaciis compositos homine ipsos tracta, sed crudelitatem ipsorum misericordia tua amoris plenissima vince. Si sanguinis mei causa inquisitionem feceris, sanguine filii tui cæde quidem inquinatas, at resipiscentes ipsorum animas consperge, ut àngelus tuus percutiens ipsas transeat. Quamquam cogitant, regna mea terrestria nimis angusta esse, quæ me et illos conjunctim capiant, me tamen cum hisse hostibus meis in spaciosissimum immensæ tuæ gratiæ regnum tandem recipe, ubi per sanguinem servatoris nostri tibi reconciliati depositis omnibus hujus ambitionis tot persecutiones & invidias mortales, & capitales parientis cupiditatibus vivemus. Quando manus ipsorum potentiam suam gravissimam & crudelissimam in me exercebit, da, Domine ut me teneræ & æternæ tuæ gratiæ manibus complectaris, ut illud quod momento

mento hoc miſerrimo de vita mea ademptum eſt, in perpetua æternitate tua compenſari poſſit. Dimitte igitur, Domine, ſervum tuum cum pace, ſecundum verbum tuum.

X.

ACTIO EXECUTORIA,

Qua Rex die Martis xxx. Ianuarii vita orbatus eſt. Verba Regis ultima in theatro pronunciata, & ejusdem exequiæ.

POſt ſententiam 27. Ianuari pronunciatam Rex, ut ad mortem ſe præpararet, per Tribunum militum Thomliſon, qui excubiis eum cuſtodientibus imperabat, veſpertino tempore petebat, ut Doctori Juxon ante hac Londinenſi Epiſcopo ſibi adeſſe permitteretur, ac duo ſui liberi Regii ex Syon domo ad ſe deducerentur. Utraque petitione conceſſa priore & ſequenti, quæ inter 28. & 29. Ianuarii inter cedebat, nocte in Whittehall commoratus eſt. 28. Doctor Juxon præſente ipſo in conclavi precibus ejusdem deſtinato concionem habuit. Matutino tempore diei Lunæ, qui erat 29. ex Whittehal in S. James ſe contulit, ut liberos ſuos viſeret. Eò cum veniſſet, benedictionem

nem suam ipsis impertivit, ac filiæ principi duos adamantes dono dedit. Loquentem animus nunquam defecit. Illo ipso die Curia Iustitiæ magna decreto publico aream spaciosam antè Banquethuys in Whittehal Sententiæ contra Regem pronunciatæ effectui dandæ destinavit, ut videlicet capitalis animadversio sequenti die 30. nimirum Ianuarii inter decimam antemeridianam, & tertiam pomeridianam in dicto loco fieret. Constituto itaque tempore circà horam decimam ex S. Iames pedes ad Whittehall ivit, stipatus legione pedestri passis vexillis, tympanorumque crepitu incedente, cujus dimidia pars satellites nobiles, qui hactenus ipsum custodiverant, nudis capitibus antecedentes præibant, altera vero Doctorem Iuxon ante hac Episcopum Londinensem, atque Thomlison militarem tribunum nudis capitibus à tergo incedentes, & sermones cum eo miscentes proximè sequebatur. Ad Xysti gradus cum pervenisset, in cameram suam, in qua dormire solitus erat, ascendit, ubi tempus precibus seriis, gemititibusque ad Deum mittendis consumebat Prandio corpus reficere negabat, eò quod matutino tempore ejusdem dieí in S. Iames cum Doctore Iuxon Sacram Synaxin celebraverat; idcirco nonnisi parvum vitrum vino repletum exhausit addito panis frusto, quibus circà duodecimam virium aliquo pacto refocillandarum gratia usus est. Cum à meridie dimidia secunda audita esset, ex camera egressum, ac per milites hastis & sclopetis

armatos & ab utroque latere constitutos, quà ipsi per Banquethuys ædes ad theatrum antè illas erectum eundum erat, transeuntem Doctor Iuxon, Thomlison,& Hacker militum tribuni, aliique præfecti militares comitati sunt. Theatri ante dictarum ædium fenestras inter portam ædium Whittehal, & ambulacrum ad S. Iames ducens erecti latera, ut & pavimentum; in cujus medio truncus securim sustinens paratus stabat, atro panno vestita erant. Tota autem area, ut omnes aditus circum circa: pluribus equitum ac peditum turmis muniti aliaque civitatis loca militibus completa erant, ut omnis tumultus occasio impediretur Innumerabilis etiam hominum, ut spectaculum hoc horrendum, & antehàc nunquam auditum inspicerent, turba ad theatrum confluxerat. Rex in theatrum perveniens mox in coelum oculos conjecit; posteà truncum in tuitus tribunum Hacker interrogabat, an non altior aliquis in ejus locum reponi posset. Hinc ad populum oculos convertens, eumque aspiciens tandem Thomlison tribunum sequentibus verbis affatus est: Sermonem meum hic ad spectatorum aures non perventurum video; idcircò tibi non nulla adhuc dicam. Equidem tacere possem, nisi vererer, ne multi ex silentio meo conjecturam facturi essent, me criminum, quorum accusatio mea mentionem facit, conscium esse.

Verum meas esse partes arbitror profectas ex debito, quo Deo & Patriæ me obstrictum novi,

novi, ut me virum integrum, Regem bonum, & Christianum verum præstem, & me talem esse toti mundo re ipsa patefaciam. Primum ab innocentia mea sermonem meum exordiar, quanquam ut multis eam declarem non opus est, utpote quæ toti terrarum orbi satis innotuit, Nemini autem hominum ignotum est, Deum, cui ratio mihi reddenda est, testem invoco, quod bellum hoc Parlamenti mei debellandi causa non susceperim, nec toto meæ vitæ curriculo illud privilegiis suis denudare enixus sim. Illi ipsi assessores Parlamenti initium belli fecêre, dum militarem disciplinam, & cætera ad bellum pertinentia, quæ mei juris & potestatis esse ipsi fassi sunt, mihi ex manibus eripere studuerunt. Si quis mandata mea militaria, & ea quæ ipsi dederunt, inspexerit ex dierum appositis notis differentiam facile animadvertet, & sciet, unde bellum hoc originem suam traxerit. Deus, ut spero, ex tenebris in lucem protrahet, & authores illos manifestabit. Ipsis, quæ fecerunt, condono. Equidem ipsos ejusmodi factis onerare nolo ac potius spero, quod extra culpam sint. Firmiter enim mihi persuadeo, malos consultores consiliis suis pravis & perversis sanguinis profusionem tantam excitasse, & hujus tanti mali incitamenta fuisse. Meam conscientiam omnibus his difficultatibus in Regno concitatis liberam & vacuam invenio: Faxit Deus, ut idem ipsi dicere revera possint & se integros vitæ, horumque omnium puros inveniant. Deus tamen prohibeat, ut ex

naturæ

naturæ meæ debilitate Iudicium hoc Dei arbitrio mihi jam impoſitum juſtum eſſe diffitear. Sæpe numero enim Deus Sententia injuſtè pronunciata juſtum judicium exercet, quod ità velim intelligatur, me injuſta ſententia Hiberniæ Proregem condemnari permittentem nunc iterum injuſta Sententia morti adjudicari. Eò uſque innocentiæ reſpectu progreſſus ſum.

Ut autem jam vobis quoque demonſtrem, me boni Chriſtiani titulo haud indignum eſſe, ad ea, quæ paucis dicturus ſum, animum attendite. Equidem ſpe eâ nitor, virum illum bonum, qui hîc præſtò eſt, (his verbis concinatorem deſignabat,) teſtimonio ſuo affirmaturum, quod omnibus hominibus condonaverim, præcipuè verò iis, qui mortis, interitus mei corporalis primarii architecti extiterunt. Quinam illi ſint, Deus novit; ego autem noſſe nequaquam cupio. Hæc charitati meæ non ſufficiunt, ſed eam ulterius progredi jubent. Ex animo ipſis precor, ut mentis caligine remota delicti ſui cognitione illuſtrentur, & videant, quanto peccato animas ſuas inquinaverint. S. Stephanum imitans precibus ſeriis à Deo contendo, ut ipſis illud non imputet, ſed potius gratiam ſuam largiatur, quò regiam viam ad pacem miſero meo Regno, & Populo neceſſariam & utilem ducentem ingrediantur. Officii & muneris mei ratio hoc requirit, & poſtulat, ut pro Regni & ſubditorum meorum pace & tranquillitate preces meas effundam.

dam. Hoc, Domini mei ex animo precor, ac ſpero, nonnullos hic fore, qui verba hæc mea palàm facient, quò tandem pax Regno meo reſtitui queat. Jam, Domini mei, viam, à qua devii eſtis facti, vobis oſtendam neceſſe eſt, ut ad eam reducti erroribus veſtris ſuperſedeatis. Actionibus veſtris, quantum ego quidem animadvertere potui, nihil aliud hactenus ſpectaviſtis, quam ut Poteſtatem veſtram amplificaretis. Via certè, & media, quæ amplificationis hujus conſequendæ gratia adhibuiſtis mala eſt: illicitam profectò viam affectaſtis. Nam poteſtatis acquiſitio ejusmodi, ut mea fert opinio injuſta eſt, niſi ex juſtiſſima cauſa & occaſione exoriatur. Aliâs enim nil niſi latrocinium merum eſt. Hoc ſenſu Pirata Alexandro Magno dixit, Tu magnus & ego parvus pirata ſum. Viam, mei Domini, in quam delati eſtis, perverſam eſſe novi: Ut ab eadem in rectam revertamini, audite, quid faciendum vobis ſit: Nunquam, mihi credite, actiones veſtras benè inſtituetis, aut benedictionis divinæ fructum percipietis, niſi Deo, quæ Dei, & Regi, quæ Regis ſunt, dederitis, id eſt poſteris meis & Populo meo ea quæ ipſis debetis, ſolveritis.

Æquè ipſas atque unus veſtrum benevolentia & favore complector. Deo ſua reddere id eſt Eccleſiam ejus ex verbi ſui præſcripto tractare debitis, ut ex confuſione præſenti in priſtinum ordinem reducatur. Ut peculiariter jam vobis rationem & modum demonſtrem, tempus non patitur. Illud unicum vobis commendo, ut

do, ut Synodum publicam convocetis, in quâ unicuique libero & nullis impedimentis aut minis turbato, vel præjudiciorum coecâ opinione delinito animo ſententiam ſuam dicere & liceat, & conſcientiæ ratione incumbat. Mox ſe convertens ad quendam ſecurim tangentem, Noli inquit obtuſam reddere, ne mihi noceat, tanquam Regi. Leges Regni ſatis te id docebunt; quoniam me privatim concernit, ſatis prolixè dictum cenſeo.

Sed ſubditorum meorum cauſa quidquid à me geſtum eſt, geſſi, ut pote qui æquè atque quivis alius ipſorum libertatem expeto, nec quidquam aliud in tota meâ vitâ magis expetivi. Libertas autem illa in bona, & legitima gubernatione conſiſtit, quæ legibus & vitam incolumem, & opes tutas præſtantibus innititur.

Sed ut Subditi gubernationis partem ſibi vindicent, fas non eſt, & ad ipſos non pertinet. Subditus & Rex tanquam res diverſiſſimæ maximo diſcrimine ſejunguntur. Donec hoc actionibus veſtris conſequamini, videlicet, ut populum in libertatem talem de qua ego mentionem facio, provehatis, ipſe tamen ſe ipſum interea liberum profiteri non poteſt.

Hæc eſt cauſa & occaſio illa, quæ me in hunc locum compulit: Si legum mutationi ex arbitrio & voluntate Exercitus poteſtate illegitima ſe ipſum armantis promananti aſſenſum meum præbere voluiſſem, huc certè devolutus non fuiſſem. Propterea vobis dico, me martyrem

tyrem pro populi libertate vita orbari, atque precor Deum, ne vos culpæ iſtius onere gravet.

Diutiore ſermonis mei mora vos non detinebo, ſi prius vos de una adhuc re certiores reddidero, quod videlicet ſpacium temporis aliquantò longius expetiiſſem, ut ea, quæ dixi, in meliorem ordinem mihi redigere licuiſſet. Sed ſpero, vos excuſationi meæ locum daturos, atque omnia in meliorem partem interpretaturos eſſe.

Conſcientiæ meæ penetralia intima aperui, & in omnium hominum conſpectum produxi: Nil aliud reſtat, quàm ut precibus meis ſeriis à Deo efflagitem, & eumque ita propitium vobis reddam, quò gratia & miſericordia Divina ex aviis iſtis in regiam viam ad Regni ſalutem, veſtramque beatitudinem deducentem vos recipiatis.

Doctor Iuxon. Quamvis Majeſtatis veſtræ amor & proclivitas, quibus ad veram Religionem ſemper pròpenſa fuit & eſt, à nemine in toto mundo in dubium vocentur; majoris tamen ſatis-factionis cauſa expectatur, ut etiam Religionis mentionem aliquam facere Majeſtati Veſtræ placeat.

Rex. Magnas tibi gratias habeo, Domine, quod hujus rei memoriam mihi refrices. Quantum enim ad Religionis conſcientiam attinet, toti mundo conſtare credo, quod me eo in negotio Chriſtianum geſſerim. Ea propter in omnium veſtrum præſentia aſſevero, me veri Chriſtiani munus gerentem mori, & reforma-

tam

tam Religionem in Angliæ Ecclesiis usitàtam profiteri,quemadmodum vir hic honestus,(concionatorem his verbis innuebat) testari potest. Hinc ad militares præfectos conversus, Ne, inquit, ægrè feratis, quod tàm diuturna mora vobis impedimento sim; habeo causam justam, & misericordem Deum.

Posteà, cum Tribuno militi Hacker dixisset, operam quæso des, ne diutiore & majore, quàm par est, dolore afficiar, lictorem alloquens, Breves, inquit, ad Deum preces effundam, manumque, extensione tibi signum dabo, me ad ictum excipiendum paratum esse. Concionatori vero astanti, cedo, ait, meam vittam, qua capiti impositâ lictorem rogavit, numquod capitis cæsaries impedimentu ipsi exhibere posset, eoque annuente omnes suos capillos ipse in vittam recondidit, ac sermonem iterum ad concionatorem deflexit dicens; Iusta mea causa Deique misericordia me protegunt.

Cui Doctor Iuxon; Theatro uno amplius non restat. Laboribus plenum, difficultatibus refertum quidem sed tamen breve est. Majestas consideratione sua metiatur temporis hujus brevitatem, quod de vitæ hujus terrestris curriculo residuum & finitum Majestatem vestram in coeleste regnum transferet, & æterna quiete perpetuoque gaudio beabit.

Rex. Caducam, & corruptibilem coronam deferens, ad incorruptibilem, & æternam transeo, & in eum locum ascendo, in quo ab omnibus

nibus curarum mundanarum afflictionibus, & turbis vacuus ac liber ero.

D. Iuxon. Permutationem incomparabilem facturus depositi mundani, & evanidi diadematis loco æternum accipies. His verbis finitis ex lictore Rex quærebat, an capilli rectè remoti essent, ipsoque affirmante pallioque deposito S. Georgii effigiem fascia serica collo appensam, & ablatam Doctori Iuxon tradidit, hæc verba addens; fasciam hanc cum effigie meo filio principi tradas velim. Thomlison militum tribuno annulum adamantem planum, cui Angliæ insignia in sculpta erant, continentem Duci Eboracensi filio suo tradendum commendavit. Utrumque vero tribunum muneribus affecit, Thomlison aureum dentiscalpium, & Hacker horologium aureum dono dans. Muneribus his distributis ipse thoracem exuit, palliоque humeros iterum tegens summa animi præsentia intrepidum vultum altera vice in truncum ac securim ipsi impositam defixit, ac lictorem percontatus est, num truncus etiam satis firmiter consisteret. Lictore responso suo de trunci firmitate Regem certum reddente ipse iterum, altior quidem, inquit, esse potuisset, ac tandem lictore referente, quod tempus præsens nullam trunci mutationem permitteret, extensionem manuum momenti, quo ictum expectare vellet signum futurum constituit.

Aliquot postea verbis prolatis, manibusque & oculis in coelum elatis subitò genua flexit, & collo in truncum procubuit, lictorem tamen

 monens

monens, ut signum expectaret, qui se hoc facturum ajebat. Capillis itaque vittæ insertis aliquandiu precatus est, ac mox manus extendens signum dedit, quo viso carnifex uno ictu caput à corpore sejunxit, quod postquam populo circà theatrum circumfuso monstratum fuerat, cum corpore arcæ ferali holloserico panno vestitæ impositum, atque ex theatro in Whitehal in conclave, ubi somnum capere solitus fuerat delatum est: tandem aromatibus conditum inde in S. Iames devehendum curarunt.

Car-

Carmina in obitum Regis.

REx *animose tuis haud horrens cedere Regnis*
Militis insani rabiem, populique furorem
Sanguine profuso satias, & sceptra relinquis.
Venditus haud vili pretio, confidere vitam.
Cum velles genti propriæ, tot adire labores
Cogeris, ac tandem strictæ das colla securi.
SCOTIA *te vendit; te tollens* ANGLIA *cæde*
Corporis exuvias retinet; tua fama perennis
Virtutum vivit; conscendit spiritus astra.
Insontem capitis te damnans ANGLIA *monstrum*
Ingens evadit capitis damnata sacrati,
Et lavat assiduo magnatum sanguine terram.
Regum Majestas vulgi calcata furore.
Vindicta cædem merita punire memento.

CEREMONIÆ

Exſequiarum funebrium, quibus CAROL. I. Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Regis corpus in arcem windſor tranſvectum terræ mandatum eſt.

VIceſimo Februarii, cum adveſperaſceret, corpus Regis in conclave ejus, ac ſequenti die in *Deans Hal* ædes lugubribus pannis exornatas delatum eſt. locus poſterior pannis ducem excludentibus obſcurior redditus facibus accenſis illuminabatur. Corpus uſque ad ſecundam pomeridianam ibi moratum poſteà funebri pompa ad ſepulchrum deductum eſt. Dux Richemondanus literis ſequentem inſcriptionem ſepulchro incidendam curavit.

REX CAROLUS. 1649.

Sepulchrum, quod Regis Henrici VIII. corpus demortuum tegebat, Caroli Regis cadaver recepit. Solennitas funebris ſequentibus ceremoniis peracta eſt. Omnes miniſtri Regii poſt funus incedebant, quibus Gubernator & D. Juxon ſuccedebat. Quatuor Magnates, Richmond, Herford, Sout hampton, & Lindſey panni holoſerici arcæ funebri impoſiti quatuor angulos ſuſtentabant, & tenebanr. Corpus cum

pus cum receptaculo suo à militibus portabatur. Quamvis Duci de Richmond petenti, ut Episcopo in sepeliendo Rege iis ceremoniis uti liceret, quæ in aliorum mortuorum sepulturis adhiberi solent, Parlamentum id faciendi potestatem concesserit, Gubernator tamen, & cæteri nobiles à Parlamento destinati, ut huic solennitati interessent, nullo pacto permittere voluerunt, ut communium precum liber in ritibus solitis peragendis usurparetur.

XII.

DECRETUM

Contra CAROLUM STUARD II. & Iacobum Ducem Eboracensem, &c. XXVII Martii cIↃ IↃC XLIX Londini publicatum, quo Regium munus in Anglia, & Hibernia, cæterisque horum Regnorum jurisdictioni subjectis Regionibus abrogatur.

QUandoquidem Carolus Stuard nuper Angliæ Hiberniæ, ac territoriorum & regionum jurisdictionis vinculo cum Regnis istis copulatarum Rex authoritate à Parlamento

derivata munus ſuum Regium obtinuit, & ejuſdem authoritatis ſententia juſta capitis condemnatus multas proditiones, homicidia, aliaque facinora odio & indignatione digna, quæ commiſit, vitæ ſuæ amiſſione, & jactura luit, eò quod ſummæ proditionis & perduellionis reus jure judicatus fuerit, ac propterea eodem judicio liberi & omnis ejus poſteritas ſub ejus titulo, & jure aliquam Coronæ aut Regni vindicationem, aut aſſertionem ſibi competere exiſtimantes coronarum dictarum, aut Regis vel Reginæ tituli, aut dicti Regni, & Dominiorum ad illud pertinentium, aut alterius, aut ullius & poſſeſſione indigni evaſerunt, & jure omni exciderunt; Præſens hoc Parlamentum ex authoritate ſua actorum Supremæ Curiæ tabulis publicis decretum hoc & concluſionem ſuam ſolennem inſerit, inſertamque publica proclamatione edicit, promulgat, & manifeſtat, quod videlicet omnis & univerſus Angliæ & Hiberniæ populus, omniaque dominia & territoria utrique Regno ſubjectionis vinculo adhærentia, omneſque incolæ cujuſcunque ordinis, & conditionis etiam fuerint ſoluti ſint omni fidelitate, honore, & juramento, quibus ipſos ſibi eſſe aut fore devinctos aſſerere velint dicti Regis defuncti liberi, aut poſteri, quocumque etiam juris titulo aut prætextu ſuæ aſſertioni patrocinentur: Et quod CAROLUS STUARD major natu, ac Iames Eboracenſis Dux nominatus minor natu filius cum cæteris liberis totaque à dicto Rege deſcenſura poſteritate,

ſteritate, omnibuſque aliis, quicunque ſub dicti Regis jure aliquam ſibi eorum, quæ ad dictum Regem pertinuerant vindicationem aſſerant, aut aſſerere velint, ſint & permaneant indigni, & impotentes, qui habeant poſſeſſionem, aut fruantur dicta Angliæ & Hiberniæ Corona, cæteriſque ad eam pertinentibus ditionibus, & territoriis ſive in univerſum, ſive aliquibus ex iis; aut poſſideant, vel gaudeant nomine, titulo, ſtylo, vel dignitate Regis, aut Reginæ Angliæ & Hiberniæ, Principis Walliæ, vel aliquo eorum; aut hæreditario jure acquirunt hæreditates, ditiones, territoria, villas, & poſſeſſiones Coronæ dictæ Angliæ & Hiberniæ aliiſque ejuſdem dioeceſibus proprio jure competentes, ſive univerſas ſive ſingulas, aut etiam ad Walliæ Principatum, Ducatuſque Lancaſtriæ & Cornwalliæ ſive aliquot eorum, ſive alterutrum poſteriorum pertinentes, aut ullas leges, ſtatuta, edicta, conſuetudines quocunque pacto in poſſeſſionem ſuam redigant. Et quoniam experientia ipſa hactenus docuit, ac quotidie docet, Regium munus, potentiamque & authoritatem ipſi inſitam in honeſta perſona provinciam huic nationi & Hiberniæ imperandi gerente non neceſſariam, moleſtam, periculis plurimis implicatam, libertatique, & communi incolarum bono inſidioſam & pernicioſam eſſe; & maxima ex parte conſuetudinem pravam irrepſiſſe, ut Regia potentia & prærogativa opprimatur, ac ad paupertatem redigatur, ipſique ſubditi ſervituris

jugo ſubjiciantur; morem verò ex naturali hominum ad regendi libidinem poteſtatisque divitiarumque cupidinem profectum inoleviſſe, ut, qui ejuſmodi poteſtate armati ſunt, libertatis communis diſpendio commodum ſuum querant, & arbitrii proprii promotione potentiæ ſuæ leges ſubiiciant, unde facile hæc Regna in ſervitutem turpiſſimam incidere poſſent; Edictum & decretum hoc a Parlamento præſenti ex authoritate ſua firmiter ſtabilitum eſt, ac vigore hujus ſtabilitur, & edicitur, ut munus Regium, ſupremaque poteſtas Regia omni futuro tempore in hac natione atque in hoc populo in una perſona conſiſtere, aut ab unica aliqua perſona exerceri vel unica aliqua perſona, quæcunque illa etiam fuerit, in nominatis Regnis eorumque ditionibus imperantis Regis officium, ſtylum, dignitatem, potentiam, aut authoritatem, vel ulla principis Walliæ jura, ſtatuta, & conſuetudines habere aut poſſidere non debeat. Porro edictum hoc firma promulgatione edicit & jubet, ſi qua perſona aut quæ perſonę ſive armis, ſive ullo alio pacto, aut ſubſidiariis mediis, aut ullam perſonam, aut ullas perſonas incitando vel ſtimulando aut quibus vis aliis viis conabuntur, aut molientur ſuſcitare, ad aſſerendum, aut vindicandum jus ullum, quod dictus CAROLUS major natu filius præfati Regis, & JAMES dictus dux Eboracenſis, aut quicunque alii dicti defuncti Regis liberi, aut poſteri ſibi aſſument, aut ſiquis perſonam aut perſonas ſibi præfatum munus, officium, ſtylum, digni-

dignitatem, & authoritatem regiam, vel Walliæ Principis jus ſibi arrogantes, incitare, aut quamcumque perſonam ad præfatum nomen, ſtylum, dignitatem, potentiam, prærogativam, vel authoritatem Regis Angliæ & Hiberniæ, & dictorum dominiorum ſive omnium ſive quorundam promovere tentabunt, ut quævis ejuſmodi offenſa habeatur & habenda ſit ſumma proditio, & malefici, conſultores, procuratores, adjutores, & incitatores ejusmodi criminum convicti non modo omnes ſed etiam ſinguli perinde ac Parlamenti, & Populi Angliæ proditores æſtimentur, ac patiantur pendant & dent eaſdem poenas, mulctas, Sententias, & executiones, quæ in ſummæ proditionis crimine commiſſo uſitatæ ſunt, & uſurpari ſolent. Ac quoniam Regii muneris abrogatione hoc edicto introducta huic nationi felix & proſpera via (ſi Deo illam ratam habere placebit) aperta eſt ad conſequendum antiquum ſuum jus & veterem gubernationis conſuetudinem, qua propria ſua & nationali congregatione totum Regni corpus repræſentante, & ſenatu à populo eum in finem quovis tempore electo gubernari poſſit, eam ob cauſam decretum & conſtitutum eſt à communi in Parlamento conventu, ut certi & definiti temporis ſpatio hoc Parlamentum præſens circum ſcribatur, ac quam primum illud fieri poſſit, aut populi conſervatio ipſi concredita, atque omnia ad hujus regiminis in Reipublicæ formam hoc tempore traducti conſervationem & con-

ſtitutionem non abſolutè neceſſaria permittant, dimittatur; Ut ſumma etiam ſolicitudine electioni certæ, conventui & congregationi totum corpus iterum repreſentaturæ ut & omnibus circumſtantiis libertatem, electionem & membrorum in Parlamento æqualitatem ac diviſionem talem, qualis maxime ad perpetuam hujus Reipublicæ libertatem & ſalutem requiretur, complectentibus proſpiciatur, & providiatur. Porro etiam hoc edicto non obſtante aliqua re his actis comprehenſa ratur, & manifeſtatur, quod nulla perſona, aut nullæ perſonæ, in quocunque etiam vitæ genere & ſtatu in hac Angliæ & Hiberniæ Republica, Walliæ Dominio, Garnſex, & Feſey inſulis, & urbe Barwyck ad Twedam ſitâ verſentur; oboedientiæ & ſubjectionis hujus Nationis Regimini debitæ vinculo eximantur, aut exemptæ ſint, quemadmodum his verbis declaratum eſt, ſed unuſquiſque in omnibus rebus oboedientiam & ſubmiſſionem huic authoritati Supremæ hoc edicto in hoc & ſucceſſuro hujus Nationis populum repræſentante, & repræſentaturo corpore declaratæ & firmatæ debitam præſtare debeat, & debiturus ſit.

1648. Aug. St.
Die Sabbathi 27. Matii.
1649. St. Ord.

XIII.

XIII.

EXEMPLUM

Literarum ab Adriano Pauw & Alberto Joachimi legatis IX. & X. Februarii Anno 1649. Londino ad potentiſſimos Belgii Uniti Ordines Generales perſchriptarum.

POtentiſſimi Domini,

Poſteaquam quinto Februarii circa veſperam appetentem huc advenientes Parlamenti nomine à Ceremoniarum Magiſtro diverſas excuſationes cum ſalutatione ſua miſcente excepti ſumus, dataque hâc occaſione audientiæ noſtræ ſequenti die futurę viam ſternentes negotium nobis demandatum feriò commendavimus, ac ſerò veſpere literas ad potentiſſimam veſtram Celſitudinem datas tranſmiſimus, ſexto ejuſdem menſis multo manè Secretarios noſtros miſimus, ut cum præfato Ceremoniarum Magiſtro audientiam noſtram ab utraque Parlamenti domo peterent.

Quo facto Superioris Domus Orator nobis nunciari juſſit, ejuſdem ut & Inferioris Domus congregationi diem Lunæ proximum conſtitutum, ac ſe non obſtantibus quibusdam impedimen-

dimentis peculiaribus pro virili suâ petitioni nostræ propænendę, & promovendæ omnem operam daturum esse. Quoniam autem Secretarii nostri responsionem expectantes ibidem commorati sunt, nominatus Orator per eos circà meridiem nos certiores reddidit, Domum Inferiorem ante meridiem sessionem suam habere non potuisse, eò quod omnes Iudices destinati, & electi in Supremâ Iustitiæ Curiâ conventum agere, Inferiorque Domus ideo die Lunæ convocari debuerint. Verum posteà nobis innotuit, eodem die à dictâ Curia sententiam contra Regem pronunciatam esse; Quâ de causâ septimo præfati mensis, Sabbathi nimirum die, qui hîc omnibus rebus cum cultu divino nullum commercium habentibus seclusis celebratur, omnem tamen lapidem movimus, ac tandem post multas difficultates illud consequuti sumus, ut antè meridiem cum Oratoribus ac primò quidem Inferioris, & posteà Superioris Domus privato colloquio conferre nobis licuerit. Eandem conferendi facultatem etiam non sine magno labore à meridie obtinuimus, quâ cum Fairfax Generali militiæ Prę-fecto, & Cromwel Generali Locum tenente, cæterisque Exercitus Anglicani Præfectis in Generalis domicilio congregatis colloquendi occasio nobis data est.

Invicem itaque Oratoribus, Generali, & Generali Locum tenenti Præfectisque militiæ præcipuis singulis, atque etiam Generali cæterisque Exercitus Præfectis unà congregatis ea,

quæ

quæ in mandatis habemus, proponendo summam diligentiam adhibuimus, magnique momenti argumenta coràm iis in medium produximus, ut executionem Regiam, quæ die Lunæ futura esse credebatur, ad minimum tamdiu retardare possemus, donec publica audientia concessa coràm utroque Parlamento negotium nostrum exposuissemus. Responsiones ex diversorum animis diversis opinionibus & affectibus occupatis profectæ variæ ac diversæ erant.

Die Lunæ, qui octavus commemorati mensis erat, postquam summo manè utriusque Domus Oratores urgendos, ac de petitâ audientiâ maturè compellandos cura vissemus. Secretarii nostri cum Ceremoniarum Magistro Westmonasterii tam diu detenti sunt, donec meridies abierit. Tum subito, & vix dimidia quadrantis horæ parte ante nobis nunciabatur, quod Utraque Parlamenti Domus antequam prandendi causa domum discessura esset, nos audire vellet, atque ideò peteret, ut hora secunda coràm Superiore, & tertia coràm inferiore Domo nos sisteremus. Comparuimus, ac primò quidem in Superiore Domo paucos assessores, quos Pares vocant offendimus; In inferiore Domo seu Communitatis Domo octoginta circiter senatores congregatos inveniebamus. Præcipua de mandati nobis negotii datæque instructionis capita oretenus primò proposuimus, literisque etiam conschripta & tradita exhibuimus illud cum primis maximè urgentes,

urgentes, ut Regis Executionem dilatione quacunque retardare possemus.

Addidimus Prætereà nos proximo colloquio, aut permittenda altera audientia nobis per mittenda multò graviores rationes, argumentaque longè ponderosiora allaturos, atque probaturos esse, quod Regi vita non adimenda, nec ipse Sententia adeò exacta morti adjudicandus, nec executione tam severa, & stricta vita privandus sit. Uterque Orator nobis oretenus respondit, de propositione nostra deliberationem institutum iri. Domus superioribus Senatoribus consultum quidem videbatur, ut continuò utraque Domus hoc de negotio seriam ac maturam deliberationem susciperet. Verum quoniam dies ad finem properabat, & inferioris Domus Senatores, postquam nobis audientiam largiti essent, confestim surgentes antè abierant quàm nos ex conclavi, in quod deducti fueramus, descendere poteramus, summam diligentiam adhibuimus, ut Propositio nostra in Anglicam linguam transferretur. Eam Anglicè jam loquentem Inferioris Domus Oratoribus, & Superioris Oratori tradidimus. Cùm autem hesterno die Whitthal prætereuntes vidissemus, nonnulla ad Executionem futuram parari, & Scotiæ Regni Commissarii hodie mane diuturniore colloquio nobiscum de Regis vita conservandi mediis, si ullo pacto fieri posset, deliberassent, ac nos intereà instaremus ut aut ab Utraque Domo responsionem acciperemus, aut altera vice publicè

blicè audiremur, tandem consilia cum Scotiæ Commissariis communicantes, unanimi consensu decrevimus Dominum Generalem adhuc semel alloqui. Hunc nonnisi à meridie offendere potuimus, & quidem in Secretarii sui ædibus Whittehal vicinis, qui à nobis negotium hoc maximo labore, & indefinente instantia urgentibus tandem permotus & victus se aliquot præcipuorum militiæ præfectorum sibi adjuncturum, ac illico in Westmonasterium responsionis alicujus promovendæ, & dilationis Parlamento commendandæ causâ iturum pollicebatur. Propè ædes, in quibus Generalem alloquuti sumus, ducentos equites videbamus; Domum redeuntes omnes aditus locaque Londini præcipua, eaque cumprimis, que circa Westmonasterium occurrebant, copiis militaribus munita inveniebamus; Equitatus verò campos omnes extrà urbem equitatione continua visitabat, adeò ut nec ingredi, nec exire, nec multa etiam urbis loca transire alicui liceret. Quandoquidem igitur omnis aliquid efficiendi aut porrò tentandi spes nobis adempta erat, ac biduò antè, & diversis vicibus ante & post audientiam nostram à fide dignis hominibus certiores redditi fueramus, à nullâ in mundo re aut intercessione nisi à Deo solo Executionem decretam impeditum iri, quod nobis Domini Commissarii Regni Scotiæ maximâ tristitiâ affecti firmiter etiam affirmaverant, omnium supradictorum fidem, & veritatem eventus ipse tandem confirmavit.

Eodem

Eodem enim die inter ſecundam & tertiam horam Rex in theatrum ante Banquethuys ædium Whithal erectum & panno nigro veſtitum deductus eſt comitem ſecum habens Londinenſem Epiſcopum, cum quo eodem mane hora 6. Sacram Synaxin idem Rex celebraſſe dicitur. In dicto itaque loco poſtquam Majeſtas ipſius Regia verba quædam feciſſe, periſcelidem ſuam, faſciam coeruleam, & pallium depoſitum Epiſcopo dicto tradidit, thoraceque exuto caput collumque animo præſenti & intrepido, quem in omnibus ſuis actionibus conſervavit, trunco impoſuit, quod à corpore ſeparatum, atque ſublatum publicè toti ſpectatorum coronæ exhibitum. De his,ut geſta ſunt, Potentiſſimas Veſtras Celſitudines quàm diligentiſſimè certiores facere ſummo noſtro moerore & tædio cogimur, illud certa affirmatione adjungentes, nos muneri noſtro demandato ſumma diligentia & in deſinente ſedulitate exequendo nullâ in parte defuiſſe.

Etenim nec noctu, nec interdiu quievimus, nec ullo impedimento nos avocari paſſi ſumus à mandato, quod Potentiſſime Celſitudines Veſtræ nobis injunxerunt, ad finem pro viribus noſtris perducendo, & à retardatione Executionis decretæ, quæ Fatalis fuiſſe videtur. Ac quoniam hic omnis generis rumores ſive boni ſive mali ſine diſcrimine ex cujusvis affectu promanantes diſſeminantur, ac cuncta in bonam, aut malam partem rapiuntur, imò fictionibus variis contorquentur; miriſque diſſerta-

tionibus

tionibus disceptantur præcipuè cum in tanto casu animi variis affectibus in diversa agantur, ac miris opinionum turbis & procellis æstuent, unicum hoc petimus, si quid sinistri de actionibus nostris ad aures Vestras pervenerit, ut Potentissimæ Celsitudines Vestræ fidem ejusmodi rumoribus non adhibeant, sed nobis confidant, qui summo vitæ nostræ periculo huc nos contulimus, & omni nostra diligentia, omnique labore, cunctisque vigiliis in id unum incubuimus, ut rerum nostrarum satageremus.

Cætera peculiaria & multa & magnum pondus habentia, ac undique ad nos tempori, & intempestive de lata quominus Potentissimis Celsitudinibus Vestris literarum perscriptione patefaciamus, transitus, quos ubique in portubus conclusos esse intelligimus prohibemus.

Unum hoc adjicimus, Regem nempè in theatro stantem seriò Religionis negotium commendasse, ut piorum Theologorum consilio stabiliatur, ac petiisse, ut Filii sui Principis ratio habeatur. Præterea ipsum adjecisse, conscientiam suam sanguinis profusione liberam, & nonnisi Straffordiæ Comitis morte gravatam esse. Item post Regis decessum tubis per totam civitatem edictum proclamatum fuisse, cujus exemplar præsens transmittimus. Hisce.

Potentissimi Domini etc. Londini 9. Februarii 1649. die Martis sero vespere subscriptæ.

ADR. PAUW.
ALB. JOACHIMI.
O P. S.

P. S. Dux Hamilton ex arce Windsor elapſus hodie manè extrà urbem deprehenſus, ac in Turri Londinenſi in carcerem conjectus eſt. 10. Febr. 1649. die Mercurii manè.

Actorum Regis Mortem Sequutorum Enarratio.

I.

Edictum præſentis Parlamenti concernens mutationem diverſorum nominum & rituum antehac in curiis detentionibus, conſenſibus, edictis, &c. Uſitatorum, & conſtitutionem litium in curiis judicialibus Regni Angliæ & Hiberniæ, Dominii Walliæ, & civitatis Barwick ad Twedam ſitæ.

HUjus præſentis *Parlamenti*, ejuſque poteſtatis edicto in omnibus *judiciis*, juſtitiamque adminiſtrantibus *Curiis*, & in omnibus

nibus *detentionibus*, *assensibus*, *edictis*, *mandatis*, *jussis*, *instructionibus*, *litibus detentionum reversionibus*, & in omnibus *taxationibus*, *reparationibus exemplorum constitutionibus*, *remunerationibus*, *causis & litibus judicialibus* in Regnis *Angliæ* & *Hiberniæ*, *Dominio Walliæ*, & Civitate *Barwyck* ad *Twedam* fluvium sita observari & effectui dari debet, ut in nominis Styli, tituli, vel testium Regis ante hac usitatorum locum inposterum nomen, stylus, titulus, & testes *Custodum libertatis Angliæ authoritate Parlamenti* substituantur, nec alia adhibeantur: ut Subscriptionis Datum *Anno Domini* & non aliud usurpetur: & ut omnes census, lucra, mulctæ, reditus, qui & qualescunque etiam fuerint, ante hac in litium disceptationem sub Regis nomine venire soliti inposterum sub prædicto nomine *Custodum libertatis Angliæ authoritate Parlamenti* in judicio disceptentur: ut verba in quibusdam nominatarum litium formulis usitata *Iuratores pro Rege* in posterum verbis *Iuratores pro Republicâ* locum cedant: ut in verborum in quibusdam dictarum controversiarum formulis usurpatorum, *Contra pacem, dignitatem vel Rempublicam nostram* locum verba *Contrà pacem publicam* reponantur. Hujus Edicti favore omnes Iudices, Domini, officiarii, & ministri justitiæ, quicunque etiam fuerint, Omnia præscripta accurate observare; tenebuntur, & tenentur, ac auctoritate hac armantur, & ab ipsis postulatur, ut omnibus his suprascriptis & nulli alii rei se subjiciant. Quæcunque verò inposterum contrà hoc edictum

 agentur,

agentur, & tractabuntur; perinde habebuntur, acſi non acta & tractata eſſent: Hoc tamen eo ſenſu accipiendum, quod omnes detentiones, quæ ex Baſilicâ Iuridiciali venerunt, & omnes Scripturæ, omniaque Diplomata Iudicum tam unius quam alterius Curiæ Iuridicialis, Baronum d'Excequer, Mandatæ cognitionis audiendi, & terminandi, capiendi & liberandi, pacem faciendi, & aliæ jurisdictiones delegatæ, diplomata, & conceſſiones, quæ *Magno Angliæ Sigillo* confirmatæ ſunt, in jure valere debeant æquè ac ſi Rex mortuus fuiſſet; non obſtante eo, quod in hoc Edicto, vel in aliquo ejuſdem capite, aut aliqua lege, vel conſuetudine aliquid contrarium ullo aliquo pacto comprehendatur. Porrò ejusdem authoritatis vigore & efficacia ordinatur, ac mandatur, ut omnes *Scripturæ & tabulæ archetypæ* ſub *Magno Sigillo* edite, & firmatæ, & omnes *Actiones, lites, Detentiones, Conventiones Iuridiciales*, quæ jam in aliqua Curia memoriæ, aut in Curia *Weſtmonaſterienſi*, vel in aliâ aliquâ memoriȩ Curiâ cum omnibus controverſiis, litigationibus, aſſenſibus, & intercedentibus in cauſæ progreſſu actis in ejusmodi actione, vel Actionibus, litibus, conventionibus, & querelis de novo repeti & redintegrari debent, inpoſterum agantur & exerceantur eodem modo, & eodem ſtatu, conditione, & ordine, & mutationes illæ obſerventur, prout ſuperius præſcriptæ ſunt nulla habita ratione deceſſus Regis, aut ullius legis, conſuetudinis, vel moris, quicunque etiam fuerit;

rit;

rit; Et ut aliqua mutatio ex his profecta, & aliquam dictarum litium, conventionum, jurisque actionum concernens in nomine, stylo, testibus, aut aliis, nullius precii aut valoris esse debeat, & quidem propter aliquem defectum, qui opponi possit.

Die Lunæ 29. Januari 1649. à Communitate in Parlamento congregata decretum est, ut hoc Edictum cum præfato titulo mox imprimeretur.

H. Scobelt Domus Communitatis in Parlamento Secretarius.

II.

ORATIONES

Seu diverſi ſermones ducis Hamiltonii comitis de Cambridge, Henrici Hollandiæ comitis , & Arthur Lord Capel , qui die veneris Anno cIↄ Iↄc XLIX Londini Capitibus plexi ſunt. His acceſſerunt admonitiones & conſolationes Doct. Sibald , Mag. Bolton , & Mag. Hodges concionatorum , qui ipſis præſto fuerunt.

Capitalis Animadversio In Ducem Hamiltonium Comitem De Cambridge.

Dies Veneris 19. nimirum Martii menſis Sententiâ pronunciatâ capitali in Ducem Hamiltonium comitem de Cambridge, Comitem

tem Hollandiæ, & Dominum Capel animadversioni destinatus erat. Circa deciman igitur matutini temporis horam Dominus Bedcher militum Tribunus ad captivos dictos in S. Iames venit, qui ejus mandato ab Excubitoribus præsidiariis in Sedans in Domini Thomæ Cottonis ædes in Westmonasterio sitas deducebantur. Eo in loco postquam duas horas piis dissertationibus de Religione institutis, & cum concionatoribus ibi præsentibus habitis contrivissent, Hollandiæ Comes à Mag. Bolton petiit, ut secum, & cum sociis suis precaretur. Precibus magna devotione inter ipsos, ut apparebat, finitis & peractis, gratiisque Mag. Bolton habitis Comes de Cambridge, quem primum hujus actionis tristis ordo tangebat, se ad supplicium subeundum parabat, & oratione admodum nervosa sociis suis valedicens cum militum præfectis, ad D. Sibbald, quem, ut ab ipso in hoc tristi statu consolationibus piis solamen acciperet, ad se vocandum curaverat, ad locum supplicio destinatum se contulit. Theatrum in nova Westmonasteriensis palatii aulâ é regione portæ magnæ Hal extructum, & ad locum, in quo magnus Iustitiæ Senatus ante hac sessionem suam habere solitus fuerat, conversum erat. Portis dicti loci apertis Legio equestris Domini Fairfax Generâlis militiæ præfecti, cui Descher Capitaneus imperabat, ac diversæ turmæ pedestres ex Tribunorum Hewison & Prides legionibus proximum theatro locum occupabant.

Præfato Comiti ex Westmonasteriensi Hal theatro appropinquanti Pro prætor Middelsexensis cum excubiis suis præsidiariis ob viam veniebat. Aderat etiam ibidem Summus Prætor Londinensis magni Iustitiæ Senatus mandato eo missus, ut capitali huic animadversioni interesset, eamque effectui dandam curaret.

Comes de Cambridge cum duobus ex ministris suis in theatrum veniens cum D. Sibbalt sequentem sermonem habuit.

C. De Cambridge, ubi primum preces meas effundam?

D. Sibbalt. Ubi excellentiæ Vestræ placebit.

C. de Cam. Dominus de Denby per nuncium mihi sigificandum curavit, quod me paucis velit. Morem usitatum ignoro. Te Domine rogare possum: Num hi Nobiles (his verbis circumstantium coronam significabat) expectant, quid dicturus sim. Verba mea aures ipsorum penetrare non possunt.

D. Sibbalt. Confestim commodior audiendi occasio se offeret; Error committi non potest si Exc. vestra in Celsitudinis ipsius adventum sermonem suum reiiciat.

C. de Cam. Haud parvi momenti res est. Communitatis domui adfuit.

D. Sib. Non puto, quid Excell. vestram moraturus sit, præcipuè si negotium aliquid ponderis habeat.

C. de Cam. Frater meus est, qui in hujus

status

ſtatus ſalute promovenda ſe miniſtrum admodum fidelem præſtitit, ac ea de cauſa in exiſtimatione maxima habetur: Eſt in Hal, & unius meorum miniſtrorum alloquendi occaſionem quæſivit, ut mihi aliquid mitteret.

D. Sib. Reſponſionis hujus expectatione precioſi temporis jacturam facere poſſemus: Mi Domine, ſatius eſſet, ſi reliquum hujus brevis temporis interſtitium gratiæ divinæ in Chriſto, in qua conſervationis animæ tuæ cardo verſatur, meditationi ſeriæ impenderes, ac inſpiceres precioſo ipſius ſanguine fluentem iſtum fontem, qui nos ab omnium noſtrorum peccatorum inquinamentis purgat. Sanguinis Ieſu Chriſti profuſio eorum commodo & ſaluti inſervit, qui viva & vera fide in ipſum omnem ſuam ſpem defigunt. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum illum unigenitum dederit, ut, quiſquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Joh. 3. v. 16. Hæc eſt rupes & petra illa, Domine, in qua tibi ædificandum eſt. Laborandum tibi de Gratia Divina in Chriſto, cujus gratia de æternitate in æternitatem durat, & eorum propria eſt, qui veræ fidei oculum in ipſum coniiciunt, & ipſi firmiter ad hærent. Ecce, Ieſus eſt ſalutis tuæ author & perfector; amariſſima paſſione mortem in cruce ſuperans iram Dei placavit, mortiſque aculeo omnes fideles liberavit, ac tranſitum in perpetuò durantem benedictionem ſantificavit. Verum quidem eſt, quod aquæ Iordanis nonnunquam admodum forti & impetuo-

petuôso cursu per deserta & vias in terram Canaan nos ducentes ferantur; sed confidamus nos arcæ foederis Christo Iesu, qui nos per omnes hos fluctus ad firmissimam illam rupem traducet, ubi nullæ inundationes, nullique fluctus humanarum angustiarum & miseriarum nobis impedimento esse possunt. Ipse esto perfugium & firmamentum nostrum, qui heri, hodie, & ab æterno fuit; quem nulla potentia, nec ipsæ inferorum portæ superare possunt. Attolle nunc oculos fiduciæ tuæ firmissimæ in Christum crucifixum, atque operam dato, ut ipsum ad dextram Patris sui sedentem, quemadmodum S. Stephanus fecit, & ad animam tuam, quando corpus hoc mortale relinquit, recipiendam promptum & paratum intuearis. Proh dolor, nemo hominum hujus vitæ desiderio teneretur, si eam anteà probe cognitam & perspectam haberet. Nihil enim aliud est nisi curarum, solicitudinûm, angustiarum, & omnium difficultatum cumulus. Unumquodque vitæ genus, ac quæ vis vivendi conditio diversis miseriarum, & molestiarum difficultatibus implicata & impedita est. Idcircò nil felicius, nil auspicatius esse potest, quàm si quis celeriter & sine mora viam brevem & gratam nanciscatur, cujus beneficio ex hujus mundi ęstuoso mari in æternæ felicitatis portum perpetuo beatum eluctari queat. Mare nobis transeundum est, mare inquam sanguinis Domini nostri Iesu Christi, in quo nulla unquam animâ naufragium fecit; in quo nos provehamur, necesse

est acti

est acti à ventis & tempestatibus, id est ab impulsu spiritus divini in nobis, qui omnes ventos contrarios Gratiæ suæ obstrepentes dissipare potest.

Sermone hoc ad exitum deducto quidam adveniens Comiti nunciabat, quod minister ejus in via esset.

Ipse respondens benè, inquit, Domine. Mox verò se ad Proprætoris filium convertens dixit: Domine, an tu hic imperio fungeris? Cui ille, omnino Domine; huc enim missi sumus.

C. de Cam. Imperium! Longioris hujus moræ tempus in causa est, quod Comes de Denbigh mihi nunciari curaverit, quod me paucis vellet. Causam nescio obquam me tamdiu remoretur.

D. Sib. Confido moram hanc Domino Prætori nullum tædium allaturam, & ipsum haud ægrè pro hujus magni negotii conditione aliquantulum temporis Vestræ Excellentiæ concessurum esse.

Interea minister reversus Comiti privatim, quæ sibi injuncta erant, nunciavit; Quibus intellectis Comes, Age, inquit, jam actum est; ac ad theatri, ante quod magna hominum turba, ut & in altera Palatii parte consistebat, marginem cancellatum accedens dicebat. Mihi operæ pretium non videtur, ut hic multa verba faciam; multos quidem homines & milites adesse cerno, iisque in conspectu quidem sum; sed a vocem meam admodum languidam & debilem

debilem auditu percepturi ſint, valde dubito: Quanquam ad animi mei ſenſa eloquendum & exprimendum nunquam adeò proclivis & pronus fui, nec majori unquam ſatisfactione me eadem depromſiſſe, aut de prompturum ſcio. Illud enim me per Gratiam Divinam, quæ me propter peccata mea in hunc rerum mearum ſtatum conjecit, facturum confido. Non poſſum mihi ipſi temperare, quin Domino Prætori enarrem ea, quæ ad præſens hoc negotium attinent, & quorum cauſa ego jam huic executioni ſubjectus ſum, nempe quod tanquam Regni Angliæ proditor proditionis accuſer & condemner. Profectò Domine, Ego hanc Regionem æquè ac meam ſummo amore ſemper complexus ſine ullo diſcrimine affectionem meam utrique impertivi! Nunquam in hujus Regni diſpendium & detrimentum quidquam ſuſcepi, nec actionibus meis ejusdem damnum finem præſcripſi. Quicquid verò à me geſtum eſt, mandato & juſſu Parlamenti ejus Regionis, in qua natus ſum, effectui dedi: Cui memorem gerere oportuit, niſi in idem diſcrimen me conjeciſſem, in quo hic jam verſor. Hæc ſatis nota, & publica impreſſione divulgata ſunt, ut prolixiore narratio non indigeant.

D. Sib. Sol forſan ſplendore ſuo Excellentiæ veſtræ oculos inter loquendum nimis perſtringet.

C. de Camb. Non Domine; ſplendor hic me non uret. Me confeſtim alium & longè clariorem Solem intuiturum ſpero.

D. Sibb.

D. Sibb. Solem Iustitiæ, mi Domine.

C. de Camb. Ut ad propositum rediam; Deo placuit, ut Exercitus, cujus Dux & imperator fui, ab adversa parte funderetur: Ego præfectus ejus, qui summi ducis munus gessi hic morti adjudicatus ad moriendum paratus sum. Moleſtiam vobis facessere nolo, ac prolixiore narratione supersedebo; quonam nimirum pacto, & quâ defensione coràm Justitiæ Senatu causæ meæ patrocinatus sim acquiescens in mandato, quod mihi impositum erat, cum è contrario actionum hujus Regionis legibus consentanearum Iustitiâ & æquitate Iudices sibi ipsis satisfaciant. Deus Justus est. Quicquid etiam eveniat; De Sententia contrà me lata nihil dicam; Divinę Providentię prompto animo me submitto probè perspectum habens, mundanam hanc pœnam variis modis me promeritum esse. Omnes enim peccatores sumus, & inter omnes ego maximus existo. Summo tamen hoc mihi solatio est, quod sciam, Deum clementem in coelo esse, & ad ejus Dextram Servatorem meum sedere. Certâ & firmâ fiduciâ dico, & scio, (hæc dicens pectus suum manu feriebat) quod jam Advocatus meus sit. In clementia & ineffabili ejus misericordia spem firmissimam defigo, quod mihi peccata mea remissurus & in gratiam suam me suscepturus sit. Huic spei firmissime innitor, ac nonnisi in Gratia Dei per Iesum Christum fiduciam meam pono. Religionis meæ causâ, Deo sit laus, me non gravatum depre-

deprehendi; Ea cum hujus Regionis confeſſione exactè convenit. Non autem eſt hæc vel illa Religio, aut hæc vel illa phantaſia hominum, cui fiduciam ſuam anima infigere debet. Unam tantum eſſe verum eſt, unam tantum eſſe certum eſt. Hæc à Deo proficiſcitur. Domine, in libera Servatoris noſtri Gratia & clementia conſiſtit. Domine, ſi cogitatione mea aſſequi potuiſſem, Sermonem meum tantam hic benevolentiam & attentionem inventurum fuiſſe, eum in meliorem ordinem, quam nunc facere poſſum, redegiſſem. Eos itaqua, qui eundem literis commendare forſan cupiunt, vehementer oro, atque obſecro, ne verba mea perperam accipiendo eo pacto in chartam coniiciant, ut aliqua mihi inde injuria oriri poſſit. Cum enim huc venirem, ejuſmodi ſermone vos alloqui profectò non ſtatueram. Mei Domini, Intolerabilium criminum maculæ mihi aſperſæ ſunt; Sed tamen talium, quorum profectò, Deo ſit laus, nullam culpam ſuſtineo. Actiones, & conſilia mea mandato mihi injuncto repugnaſſe dicantur. Quicquid conabar, Regis commodum ſpectabat, nec ad alium aliquem finem quam ad benè de Rege promerendum conſilia mea collineabant. Plures annos cum ipſo eadem educatione uſus ſum. Familiaris ejus miniſter eram. Nihil in Parlamento decernebatur, quod ego aſſenſu meo non approbaviſſem. Ejus rei cauſa vitam meam, caputque ſæpius in apertum diſcrimen adduxi.

Utriuſ-

Utriſque jam alio modo, aliaque via jacturam facere cogor, eò quod ad Regis partes conceſſerim. Hac de re tantum loquor, quia cæteræ multa peculiaria & particularia complectuntur. Ut autem turpium ejuſmodi macularum aſperſionem à me removeam, apertè dico, exercitum meum in Angliam ducerem, nullum mihi alium ſcopum propoſitum fuiſſe, quàm eum, cujus modo mentionem feci. Nullo pacto in ficias ire poſſum, maximas rationes fuiſſe, cur Regiam ipſius perſonam ſumma dilectione amplexus fuerim. Rex enim meus erat; Et quoniam Dominus meus erat, voluntatem ſuam hoc in negotio perficere Deo placuit. Idcircò non eſt, cur horum verborum, quæ hic loquor, occaſione aliquis in eam ſuſpicionem me adducat, quaſi adulatorio animo illa effundam, cum ad nullum alium finem tendant, quàm ut calumnias mihi exprobratas à me amoliar. Si alio fine dixiſſem, quid inde commodi perciperem. Veritatis genuina confeſſio in æternitate compenſatur. Pluribus mentio facta eſt, Domine, de quibuſdam, quod extraneos populos in hoc Regnum deducere conati ſint, cujus rei Declaratio etiam meminit. Ejuſmodi negotio ſemper adverſatus ſum, tumque operæ & laboris in eo poſui, ut tales homines detegerentur. Iam enim ſimulandi aut diſſimulandi tempus non eſt.

Quanta promptitudine, & alacritate in id unum incubuerim, ut omnis generis officia huic

huic Nationi præſtarem, & pro viribus meis exhiberem, multi homines honeſti cognitum exploratumque habent: quam promptum autem & ala orem me in poſterum præſtiturus fuiſſem, ſi illi, qui jam vitæ mihi adimendæ poteſtatem ſibi ſumunt, ejuſdem uſuram diuturniorem mihi non invidiſſent, ſatis manifeſto ex actionibus meis elucere potuiſſet. Quoniam verò ipſis hoc non conſultum viſum fuit, quod prono animo feciſſem, jam perficere non poſſum, cum omnis perficiendi commoditas mihi jam adimatur. Quod principiò dixi, illud hic repeto, Domine, nempe quod Regno omnem proſperitatem, in columitatem & pacem ex animo precor, Utinam, Domine, hic meus ſanguis ultimus hic profunderetur. Quamvis etiam ad huc aliquid in promptu haberem, quod accuſationi meæ apponere poſſem, illud tamen propter nimiam prolixitatem omitto, & ipſis, quæcunque contrà me fecerunt, remitto. Domine, nullas mecum difficultates in ſepulchrum aufero. Ejus, qui coelum & terram creavit, voluntas fieri debet. Domine, ut de hujus Regni ſtatu & regimine tibi aliquid dicam, & tibi de eadem, aut alia eundem finem ſpectante re Sententiam meam manifeſtem, neceſſarium eſt. Omnia mea conſilia jam inde ab initio ſemper pacem ſuaſerunt, adeò ut unicuique ſatis clarè innotuerit, me nullius mali, nulliuſque diſcordiæ inter Regem & Populum fabricatorem fuiſſe. Nunquam ullo incommodo Parlamentum afficere

ficere conatus ſum,eumque in finem arma nunquam in manus ſumpſi: Precibus meis Regem Deo Omnipotenti commendare nunquam deſtiti; imo Deum adhuc precor, ut ejus animum gratia ſua divina eo dirigat, (his verbis legitimum Regni hæredem deſignabat) quò omnes ejus actiones ad ſui nominis gloriam, Regnique pacem & felicitatem tendere poſſint. Quæ meam perſonam attinent, ea me dixiſſe puto, Religioniſque meæ me mentionem feciſſe arbitror.

D. Sib. Celſitudo veſtra ejuſdem perfecta narratione non meminit.

C. de Camb. Aliquid tamen de eâ me in medium attuliſſe certè credo.

D. Sib. Verum eſt. Sed rem gratum Celſitudo veſtra nobis faceret, ſi eadem, quæ dixit, nova iteratione renovaret.

C. de Camb. Revera Domine, quantum ad Religionis meæ confeſſionem attinet, eam dixi conformem & conſentaneam eſſe Religioni in hoc Regno ſtabilitæ, in qua ego in meo Regno natus educatus, & exercitatus ſum. Sententia mea in Religionis negotio ſtabilis & immota manet. Multi pii tentationibus quidem affliguntur, quibus ego nunquam gravatus fui. Quod multi opinionibus diffideant, ad me non attinet. Mea pura eſt. Domine; Deus mihi peccatorum meorum remiſſionem largiatur: Ego omnibus iis tàm ſummis quàm imis, qui vel minima inimicitia aut hoſtilitate in diſpendium meum procurandum incitati ſunt,

ex animo errores ſuos condono. Nobis mandatum eſt, ut mutuâ remiſſione in vicem peccata remittamus. Præcepto divino, ut illud faciamus nobis injungitur. *Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus dibitoribus noſtris*, &c.

D. Sib. Servatoris noſtri præceptum eſt: *Diligite inimicos veſtros, benedicite eis, qui execrantur vos, & orate pro iis, qui vobis ſunt infenſi, & perſequuntur vos.*

C. de Camb. Domine, tempus maxime urget, ut negotio huic finis imponatur. Cogitationes meæ nunc in rem nullam aliam defixæ ſunt, quàm ut paucis verbis ad Deum omnipotentem preces meas tranſmittam; quo facto paratus ſum.

Cum D. Sibbald poſteà ingenua provolutus Comes de Cambridge ſequentibus precibus Deum invocavit.

Miſericors Deus, Ego indignus ſervus tuus in gratia tua immenſa, & Ieſu Chriſti, qui in throno ſedet, meritis omnem meam fiduciam ponens ad te accedo. Iuſtitiam tuam fugiens confugio ad Gratiam, & miſericordiam tuam & ad eum, qui ſanguinem ſuum pro peccatoribus profudit, ut mei miſereſcat, ut Gratiæ ſuæ oculos in me convertat, ut me tanquam eum, quem liberavit in tueatur, ut me tanquam eum pro quo ſanguinem ſuum profudit, aſpiciat, ut me tanquam eum, qui æternam ſuam ſalutem ſperans per acerbiſſimam paſſionem ipſum invocat, miſericordiæ ſuæ oculis reſpiciat. Propter ipſum, ô Deus, & propter infi-

ter infinitam tuam misericordiam miserere mei, ac largire, ut anima mea peccatis inquinata, & ex caduco hoc corpore discessura in perpetuam & æternam gloriam transferatur. Exhibeto mihi, ô Domine, gratiam tuam, exaudi preces meas propter misericordiam tuam in finitam, ac misericordiæ oculos tuos ad me deflecte. Mi Domine Iesu, mi Domine, qui es Deus & liberator meus preces meas exaudi, miserere mei, miserere mei. Largire animæ meæ, ô clementissime Deus, ut tuæ satisfactionis beneficio æterno gaudio & æterna felicitate frui queat. ô Domine, memor esto mei miseræ & peccatis oneratæ creaturæ. Age, mi Domine, qui mortem ipsam prome superasti, miserere mei, ac in gratiæ tuæ foedus me suscipe. In te, mi Domine omnis mea spes fixa & immota hæret, Ab æterna damnatione me liberato. Satanas nimis diuturnus hujus animæ possessor fuit. Ne permitte ipsi, Domine, ut potestatem suam in ipsam exerceat, sed mihi concede, Domine, ut ab hoc momento in æternum tecum habitare mihi liceat. Age Domine, tempus tuum est ut me exaudias. O clementissime Iesu exaudi me propter bonitatem, gratiam, & veritatem tuam. O gloriose Deus, ô benedicte Pater, ô sancte Liberator, ô clemens Consolator, ô sancta, & benedicta Trinitas, animam meam in manus commendo, propter Servatoris mei merita in gratiam tuam eam suscipe. Gratias tibi ago, quod tibi in omnibus meis ærumnis & calamitatibus, atque etiam in ultimâ hâc horâ me confirmare

& roborare placuerit. Gratias tibi ago, ac laudes tuas in æternum celebro.

D. Sib Mi Domine, spero, quod fidei tuæ oculos Solis Iustitiæ illustrissimi splendor jam collustravit, animamque tuam illustravit. Idcircò firmiter adhæreto Iesu Christo, qui generis humani sequester & mediator nos redemit, ut illibatæ ejusdem justitiæ togâ amictus coràm Dei throno te sistas. Deus gratiam & potestatem tibi faciat, ut fidei tuæ oculis coelum apertum, & Iesum Christum ad dextram Dei consistentem, ac ad te in clementes suas ulnas recipiendum paratum conspicias.

Comes ad carnificem conversus, num aliam, inquit, vittam capiti meo imponam necesse est? Si capillus hic ex cervice mea removendus est, tres ministri mei ad sunt, qui ministeriis suis mihi satisfacient.

D. Sib. Mi Domine, ad omnibus, qui hìc tibi præstò sunt, satisfaciendum potens mihi videris; Spes tua jam certa & firma est ac sanguine Iesu Christi confirmata, quod Deus tibi reconciliatus sit: Spiritus etiam Domini tibi testis est, quod Christus tuus Iesus sit factus. Mi Domine, fidei tuæ oculos in Iesum Christum defige, authorem nimirum & perfectorem salutis tuæ æternæ, qui prò generis humani salute & felicitate æterna recuperanda turpissimam mortem subiit, & liberationis nostræ causa humilima subjectione voluntati Patris sui morigeratus est. Benedictus & sanctus est ille (mi Domine) qui primæ resurrectionis particeps

particeps redditur, id eſt, Ieſu Chriſti, qui primus reſurgens & reſurrectio eſt, & vita; Hujus participi reddito mors ſecunda nullam vim inferre poteſt. Ineffabili gaudio exultat anima fide & ſpe vera imbuta, quando in ipſo mortis articulo ex hoc terreſtri tabernaculo in gloriam coeleſtem, quæ nullo fine abrumpetur, recto tramite tranſit, ac in conſpectum Dei prodit, in cujus preſentia omne gaudium, ac omnis lætitia perfecta locum habet, & cujus dextra perpetuis recreationibus ſtipantur.

Comes iterum ſe ad carnificem detorquens, quò, ait, vis, ut jacendo me convertam.

Illo marginem theatri exteriorem ipſi monſtrante hem! inquit; caputne meum eò dirigam? Cui Proprætoris filius reſpondit: Mi Domine, in mandàtis datum eſt, ut caput tuum. Curiæ magnæ, in qua juſtitiæ ſedes eſt, obvertatur.

Poſt ea Comes miniſtros ſuos quibusdam verbis alloquutus eſt, ac mox propter theatri latus in genua procidens brevi precatione Deum adoravit. Eo finito D. Sibbald, mi Domine, inquit, Deum ſubmiſsè & ex animo precor, ut divina ſua poteſtate, & gratia te induat, quò ſanctâ, & Chriſtiana fortitudine & animoſitate in tui Creatoris, & clementis Liberatoris manus animam tuam deponas, nec te ullis cum hac morte conjunctis circumſtantiis triſtibus ſolicites. Quàm glorioſam & benedictam permutationem breviſſimo hoc temporis articulo facies!

His auditis Comes animo lætitia elato vultu

que læto ac hilari Doctorem complexus hæc verba protulit.

Profecto, Domine, te complector, Deoque meo gratias ago, quod nulla formidine concutiar. Fiduciam certam & immutabilem habeo hic confirmatam (manibus cordi impositis hæc efferebat) Plus lætitiæ & gaudii hinc haurio, quam unquam aliâs ex ulla aliâ re hausi. Ex lugenti mundo in æternum & gloriosum regnum commigro. Quanquam, Domine, creatura multis peccatorum inquinamentis foedata fui, probè tamen novi, Dei misericordiam nullis finibus circumscriptam esse, pro qua meo Deo gratias ago. Conscientia adeò pura hinc discedo, ut non sciam an ulli homini à me injuria ulla orta sit.

D. Sib. Mi Domine, maxima hæc est satisfactio, quod in ultimo hoc vitæ tuæ articulo hoc pacto loqui possis. Deum precor, ut in effabili suâ gratiâ fidem tuam stabiliat, quò ultimo momento Domini Iesu brachia ad te excipiendum exporrecta cernere queas.

Comes ministros suos præsentes aspiciens cuivis ipsorum dixit; fideli admodum ministerio rerum vestrarum sat egistis, Deus vos benedictionum suarum copia largâ compleat.

Vultu ad carnificem admoto brevibus, inquit precibus Deum meum alloquar, dum trunco capite meo incumbo, ac quando manu mea extensa, dextrâ inquam, signum dedero, officio tuo fungere; ex animo tibi & omnibus

omnibus hominibus, quicquid in me commiſſum fuerit, condono.

D. Sib. Deus Gratiam ſuam tibi comitem adjungat, atque fidem tuam in Chriſtum roborans in vitæ æternæ poſſeſſionem te transferat. Tranſitus hic eſt, mi Domine, & breve ad æternam gloriam iter. Ea ſpenitor, te per miſericordis tui Dei gratiam hæc verba dicturum; *O mors ubi eſt aculeus tuus? ô Sepulchrum ubi eſt victoria tua?* ac ſequentem reſponſionem ſubjuncturum; *Deo ſit laus, Deo ſit laus, qui me de hac victoria certum reddidit.*

Comes verò carnifici, num, inquit, hàc mihi decumbendum eſt? cui ille, imò, ſi Excell. V. placet.

Com. Quando manum extendo: Sed caput meum prius aptabo. Dic mihi an ſic recte jaceam, aut quo pacto tu poſtules, ut ego procumbam.

Carn. Induſium tuum aliquanto inferius aci cula figatur neceſſe eſt, quandoquidem altius, ſcapulis in hærens impedimento eſſe poteſt. Quod ex tempore etiam factum eſt.

D. Sib. Age, age, mi Domine, attolle oculos ad Dominum Jeſum Chriſtum, & in æterna clementiſſimi Redemptoris tui brachia te abiice.

Comes caput trunco imponens, num commode, inquit, & rectè procubui?

Doc. Sib. Ieſus Davidis Filius te miſericordia ſua complectatur.

Carn. Aliquanto ad inferiorē partē te declina.

Com. Age, expecta igitur, donec ſigno dato tibi momentum feriendi innuero.

Cum parum temporis procumbendo triviſſet, ac claudeſtinis precibus animam Deo commendaſſet, manus extenſione ſignum dedit; Quo viſo Carnifex uno ictu caput à corpore ſecrevit. Utramque partem miniſtri ſerico panno involutam, & arcæ eum infinem in theatrum allatæ impoſuerunt, & in Domini Iohn Hamiltonis in Mewes domum transvehendam dederunt, ubi aromatibus conditum eſt.

CAPITALIS ANIMADVERSIO IN COMITEM HOLLANDIÆ.

COmite de Cambridge capitali poena interempto præſidio Prætorio in mandatis dabatur, ut Comitis Hollandiæ adducendi cauſa abiret. Hunc inter theatrum & Weſtmunſter-Hal obviam factum ac præſidiariis militibus cinctum Proprætoris filius in theatrum deduxit. Comites in via ad theatrum tendente M. Boltonem manu tenens varios cum ipſo ſermones miſcuit. In theatrum veniens aliqua oratione populi aſtantis coronam affarii conatus eſt; verum ſermonem ſuum à theatro undique militibus circundato ad populi circumfuſi aures non perventurum animadvertens in theatro adſtantibus dixit.

Minimè

Minimè neceſſearium eſt, opinor, ut hic verbis utar: Ubinam, aut quo in loco hic loquar? Deinde ad marginem theatri deductus lateri in theatro incubuit dicens; Conſultum mihi videtur, ut hic aliquid eloquar, quandoquidem Divina voluntate factum eſt, ut in hunc locum venerim. Primum ſermonis mei membrum eſt Religio, in quâ à familia ſtrenuis ſemper Proteſtantis Religionis defenſoribus abundante educatus ſum. Divina gratia illi ſemper addictus vixi; Ejuſdem confeſſione ſeria vitam meam ad finem perducam. Firma ſpenitor, peccata mea mihi à Deo remiſſum iri, quia ſeria meditatione caſum hunc meum excutiens probè intelligo, ipſius voluntate & providentia me in hunc locum tandum appuliſſe, ut peccatorum meorum meritas poenas luam. Occaſio tamen, quæ huc me advexit, à multis in deteriorem partem rapietur.

Conſiliorum & machinationum nonnullarum in hujus ſtatus atque Regni perniciem à me fabricatarum accuſatione oneror. Accuſationem hanc tanquam juſtum Dei judicium reſpicio, non tamen eo animo, quaſi hujus Regni ſtatum atque Parlamentum aliqua injuria affeciſſem, cum eidem tanquam fidelis miniſter omnia debita officia prætiterim. Omnes enim actiones meas ad Boni Publici patrocinium, ac inprimis ipſius Parlamenti defenſionem æquali ſemper conſpiratione conſenſiſſe in vulgus notum arbitror. Omnes animi mei affectus, atque inclinationes ad unicam hanc

rem nunquam non aspirarunt. Ad exitum Longè alium itinere longè diverso negotia Regni jam properant, quàm ab initio pollicita sunt, cum Parlamentum ministerio meo in negotiis Regnum attinentibus uti inciperet. Nullam actionibus meis metam aliam præfixi, quàm Justitiæ & æquitatis conservationem, quam diu mihi in hoc vitæ curriculo vitali aura frui licuit: Pro eâ etiam Divinæ Gratiæ auxilio vitam hanc profundere non dubito. Fieri potest, ut alia inciderint, quibus ad alia consilia occipienda stimulati sunt. Verum viderint ipsi, quid fecerint. Quantum ad me attinet, nihil est eorum, quæ dixi, feci, aut fassus sum, (sive in ipso foedere, sive declarationibus) quæ, Regis, Parlamenti, & Boni Publici commodo ac saluti, pacisque in Regno promotioni non inserviant. Proinde est, cur Deum meum laudibus celebrem, eique gratias agam. Sanguinem quidem meum hic effundam oportet, quanquam actionibus meis non meritus sum, ut vel guttula ejus spargatùr. Quantum ad præsentia negotia attinet, prout jam effectui dantur, de iis judicare non possum. Sed ut opinionem meam dicam, in eo statu versari mihi videntur, ut negotio haud facili de ipsis judicari possit. Satius itaque est, ut iis omissis precum exercitio animæ meæ saluti consulam, votisque meis huic Regno, nationi ac statui benedictionem divinam impetrem, ut totum Regimen stabilitum & confirmatum sub uno Rege & Domine cum Populo suo conspiratione pacifica

cifica conſentiente, qui ſtatus meo judicio hactenus Regni hujus florentiſſimus ſemper fuit, feliciſſima perpetuitate floreat, & vigeat. Precibus autem meis à Deo contendo, ut clementi ſua providentia prohibeat, ne mutatio hæc Regni præſens damnum, perniciem, aut confuſionem ullam inferat. Regis hæredes reſpicio, conſcientiæque meæ impulſu actus Deum precor, ut ipſi placeat hujus Nationis affectus & inclinationes eò dirigere, quò debiti vinculi memor Regios hæredes revocandos curet, ac ſine ulla ſanguinis profuſione dignitati priſtinæ, quam ipſis Deus per nativitatem ſuam contulit, reſtituat. Ex animo meo ſerias preces ac gemitus ad Deum mitto Statui huic felicitatem proſperrimam voventes, atque optantes, ut hic ſanguis meus tantæ ſanguinis effuſioni tanquam ultimus finem imponat. Profecto ſi hoc fieri poſſet, aut vota mea hoc conſequerentur, ſumma profecto promptitudine vitam meam huic rei conſecrarem, ac longè promptius ullo homine impenderem, ut tandem diluvium hoc ſanguinolentum ulteriore in hanc miſeram nationem inundatione finiatur. Nullum enim Regimen, nullumque Imperium ſanguinis profuſione enaſcens diuturnum eſſe, aut progreſſu aliquo accreſcere poteſt.

Benedictione omniſque felicitatis comprecatione huic Nationi, Regno, atque Parlamento impertita porrò omnibus hujus negotii totius authoribus & noſtri in hunc locum adventus architectis omnem ſalutem & felicitatem precor,

ac non

ac non ſolum, quæ fecerunt, remitto, verum etiam à Deo ſeriis precibus contendo, ut eodem pacto ipſis peccatorum ſuorum veniam largiatur, quo pacto mihi mea peccata remitti peto.

Quoniam Academiæ Cantabrigienſis Cancellarius ſum, ejusdem ultimis precibus meis me meminiſſe par eſt. Faxit Deus ut feliciſſimo progreſſu accrescens ejuſmodi Theologos producat, qui animas humanas conſervandi, earumque incolumitatem & ſalutem procurandi cauſa per totum regnum diſtribuantur. Magiſtrum Bolton aſpiciens, Tibi, inquit, dixi, qua in religione educatus, ac natus ſim, & in qua me in vita exercuerim. Ea vivendi initium feci, eadem vita mihi finienda eſt. Qui me in hac opinione Religionis educarunt, Religionis negotio deditiſſimi fuerunt, ac fideliſſimo patrocinio Regnum ac Statum hunc tutati ſunt. Ejusmodi actiones, quibus honeſti ac boni Chriſtiani titulo gaudere queam, edere molitus ſum. Prompta ſemper voluntate iis opem & auxilium tuli, quibus in ærumnis & calamitatibus conſtitutis adjumento opus fuit. Hoc faciendo maximam compenſationem ac quiſivi, quandoquidem in precibus ſuis mei mentionem fecerunt, quod in ſtatu hoc meo præſenti comperio, atque idcirco Deum ex animo precor, ut à conſimili caſu eos defendat.

Magnus peccator ſum: Sed tamen preces meas à Deo exauditum fidemque meam confirmatum iri ſpero, ut omni ſpe in ipſum conjectâ

conjectâ planè confidam, quoniam me mortis obeundæ causâ in hunc locum adduxit, hunc meum ex vita abitum mihi transitum futurum ad vitam æternam per Iesum Christum, in quem omnem meam spem defixi, & per quem Dei gratiam expectto. Ardentibus precibus à Deo flagito, ut vobis eam benedictionem impertiri velit, quâ videre possitis, ultimum hoc supplicium inter vos esse, quod eo pacto sanguinem profundat, quo hactenus profusus est. Postea ad unum ex theatri lateribus conversus precatione aliquantò longiore Deo se commendavit, eaque absoluta Mag. Bolton porro ipsum alloquutus est:

Mi Domine, ad eum oculos tuos converte, in quo hactenus omnem tuam spem defixisti. Spero ultimas tuas preces hic pronunciatum, nec aliud aliquid relictum iri nisi meras Dei laudes, nihil aliud tibi restare, quam hunc diem principium & introitum ad æternum, & nunquam cessaturum diem. Ejus auroram, mi Domine, inspicio & aspicio. Ubi nam tua perfectio sit, probè nosti, ac ubi nam divitiæ tuæ repositæ sint, ubi unica tua rupes sit, in quâ anchoram tuam tibi figere liceat, non ignoras. In Christo perfectionem esse te non latet. Si Dominus perfecta consolatione te non visitat, induc tamen animum tuum tamdiu summa expectatione ipsum præstolari, quamdiu in vivis fueris. In ipso spem tuam repone, quando ex hoc mundo tibi jam discedendum erit, ac tum dicito; Hic moriar, & ad pedes tuos ab-

jectus

jectus pœnitentiam agam. Certum ac firmum est, qui perditorum peccatorum salutem & restitutionem quærendi & comparandi causa in hunc mundum venit, illum à se peccatores perditos non amandaturum esse, quando ad ipsum redituri sunt. Non remittet nos ad se venturos. Quæ hîc præstò sunt, mi Domine, omninò sufficiunt. Nil restat, quàm ut cor tuum iis affigas, fideique oculos tuos in ista infigas, ac seriæ accuratæque meditationis inquisitione hanc gratiam explores, & examines, cujus post hanc vitam meditatio nulla erit, nec ulla dabitur. Quemadmodum Exc. vestra dicebat, Fides ac spes hic finem suum inveniunt, ac conversionis ad Deum in hac vita exitus est. His enim ad finem perductis sequitur feliciter adventantes excipiens gratulatio Dei, gratulatio Christi, & felicitatis perpetuâ duratione in æternum successuræ gratulatio; adeò ut hic transitus felicissimus & prosperrimus ex omnibus difficultatibus & erumnis nos ad felicitatem nullo termino definitam abducat. Ac quanquam via hæc admodum tristis appareat, & lachrimarum vallis, mortisque umbra sit, in æternam tamen lætitiam locumque mero gaudio repletum te transferet. Nullum mihi dubium est, quin Deus aliquo dulcedinis æternę gustu præmisso cor tuum imbuturus sit, ut gratiam & misericordiam ejus præsentiscas, & ex signo tibi dato anima tua videat & sentiat ea, quæ modo verbis pronunciavimus, ac expressis nostris lachrymis (Deo sit laus)

ſit laus) acquiſivimus. Deus conſolationis penuriâ nos laborare non ſivit. Idcircò ſpe firma mihi polliceor, mi Domine, te tibi ipſi hoc in negotio non defuturum, qui tot pronunciatis animi tui ſenſa nobis aperuiſti, & nos de voluntate tua certiores reddidiſti: ac ſpiritum tuum ſublatum & erectum lumine divino irrodiatum iri. Felicitatis æternæ certitudo noſtra in ſcientia aut cognitione noſtra ſita non eſt, ſed in fide & ſpe firmiter Deo adhærente. Fidei noſtræ anchoræ ejecta quaſſationibus quidem & alluentium undarum impetu quatitur, ſed incolumitatem præſtans non movetur. Nihil eſt, quod incolumitatem noſtram peſſundare at malo afficere queat. Quid nocumenti aut incommodi mihi parere poteſt, etiam ſi me in nube admodum obſcura ad Deum convertam? Quo damno me afficere queat, ſi noctu cum Nicodemo Dominum adirem. Triſtitiæ nox eſt: Tenebris oppleta nox eſt; Quamvis vero tremens & ceſpitans hac nocte veniam, firma tamen & infallibili certitudine nitor, quod in ipſo conſolationem, incolumitatem & ſalutem inventurus ſim. Itaque Pater coeleſtis te conſolatione ſua erigat; Ipſe tuus conſolator ſit, ac animam tuam gratia ſua Divina compleat. Deducat te in ſinum Domini Ieſu, ut hinc diſcedens, ac mundana omnia à tergo relinquens in æternitate in ipſo vivas. Et hæc ſunt, quæ precibus meis ſeriis efflagito.

Holland. Mr. Bolton; Deus magna me in hoc mundo temporis intercapedine uti voluit;

Ex multis

Ex multis periculis me tutum præstitit, ac tandem ad hunc finem, qui præstò est, transmisit, ut tandem hujus Parlamenti & status distractione ad ea toleranda redactus sim, quæ, ut anteà dixi, neminem in mundo hominem sibi unquam persuasurum fuisse credo, quod mihi tandem ejusmodi ob causam patienti toleratione subeunda forent. Non tamen casum hunc alia meditatione examino aut respicio, nisi quatenus eum ex judicio Divino profectum in mea peccata animadversionis justæ locum occupare videam. Ac profectò Domine, quanquam ignominię & infamiæ macula hæc mors contaminata sit, parum tamen me solicitum habet, utpote cui plura ejusmodi exempla in conspectum se dederint. Inter omnes primas tenet Servator meus, qui nobis præeundo iter paravit. Modus quo passus est, & causa ob quam passionem suam sustinuit, plus consolationis & letitiæ mihi suppeditant. Parvum temporis interstitium elapsum est ab eo momento, quo Serenissimus Rex Dominus meus hâc eâdem viâ ex hoc mundo in æternitatem translatus est. Verba ejus & consilia ejusmodi fuisse spero, ut ea non solum in vita sed etiam in morte imitationem dignissimam mereantur, verum etiam non sit, cur aliquis eorum pudore suffundatur. Frequentioribus disceptationibus cum ipso in arenam descendi, atque negotium hoc crebrarum ventilationũ inquisitione indagavi, adeò ut certo & firmiter mihi persuadeam, ærumnis his, & cruciatibus ad meliorem cognitionem, certioremque

remque intelligentiam adductum,& majorique experientia excultum & sibi & huic Regno felicissimum Principem & Gubernatorem futurum fuisse, si Deo Optimo Maximo ipsi longiorem vitam largiri placuisset.Illud,quod vidi,mihi manifestum & exploratum est, benedictas has animas per curarum & solicitudinum portam, per contemptus, & ignominiæ portam in coelum transivisse. Cum itaque voluntati Divinæ visum fuit,ut eandem viam ex hac vita migraturus ingrediar, omni lætitia & spe Deo meo animam meam commendo & trado ea fiducia fultus, quod meum finem ac vitæ meæ metam constituerit. Idcircò argumentatione firma hoc colligo,quanquam ad mortem hanc ignominiosam abjectus sim, me tamen depressione & ignominia hac ad summam & altissimam æternitatis gloriam exaltatum iri.

Revera in Populi præsentia admodum pauca de iis verba feci, quæ meas peculiares actiones attinentia consiliariorum meorum beneficio & labore in hoc regno effeci. Actiones illas omnes existimo in vulgus notas esse,ut eas prolixiore narratione hic recensere meo judicio vanitas sit. Consolatione mea pectus meum obfirmans mori me satius est, quandoquidem hoc me solatur quod sive his sive ullis aliis actionibus in hoc Regno effectui datis, vel in vita mea effectis aut aliquem damno mulcare, aut sanguinis effusionem suscitare, aut ullum vivorum lædere nunquam animum induxerim. De Religione mea confessionem meam eloquutus sum. Unicuique

amor meus in hanc patriam innotuit, quanta commiseratio animum meum invaserit, & quam vehementer miseratus sim eorum ærumnas & calamitates, qui sinistræ fortunæ inclementia oppressi sub difficultatum onere gemuerunt. Quanta solicitudine elaboravi, ut suppetias ipsos ferrem eosque oneribus tantis levarẽ?

Et conscientiæ meæ stimulus me ad illud faciendum impulit, & oboedientia ac promptitudo parendi salutaribus eorum jussis, & præceptis, à quibus educatus sum, ad operationes dictas me incitarunt. Deus jam ad ultimam vitæ meæ metam me vocatum migrare jubet. Propterea, quæ dicere, aut quibus confidere possum, ea omnia in eo uno sita, ac locata sunt, quoniam inter peccatores haud minimus sum, quod è contrario clementem & favore suo me complectentem Servatorem habeam, qui hoc ærumnarum genere coram omnibus hominibus publico & manifesto pudore quidem me suffundat, sed eum pudorem in gloriam commutet; in gloriam inquam, quando eum qui mihi præivit considero; in gloriam, quando cogito, quod extra culpam omnem positus, & innocens morte mea Deo, Regi, atque huic regno inserviam. Ea de causa animus meus minimè premitur, aut gravatur, aut hujus casus meditatione turbatur, siquidem confido, Deum causam meam consilia & actiones meas tangentem suscepturum, & ad finem perducturum esse. Moriendi necessitatem subeo; Dominus animam meam in Gratiam suam recipiat. Nonnisi ad unicum

Christum

Chriſtum confugio ; ac me ipſum peccatorum indigniſſimum eſſe non inficior. Vitam meam vanitate & peccatis transmiſi , atque ideo Deus juſtò judicio mihi hunc finem deſtinavit, & peccata mea punivit. Totam rem aliis intellectus & animi mei oculis non aſpicio, quam iis, quibus video, Iudicii magni & juſti per miſſionem à Deo deſcendiſſe, & mihi atque illis, quibus condemnationem hanc in me fabricari libuit, incubuiſſe. Deum precor,ut veniam ac remiſſionem ſuam ipſis indulgeat. Deum precor, ne plura alia ejusmodi victoriarum, quibus potiti ſunt, trophea & monumenta erigantur, ſed hoc ultimum in hoc theatro ſpectaculum , ac reliquorum omnium hactenus tantam ſanguinis copiam èffundentium colophon evadat,id quod antea etiam precatus ſum: Ne populus ſanguinis nobilium ſuorum tam turpiter profuſi toties ſpectatorem agat. Nonnulla mihi etiam de examine noſtro, cui ſubjecti fuimus, dicenda eſſent,quod profecto tale fuit, quale unquam in hoc regno ordinis & conſuetudinis uſitatæ limites transgredi potuit.Verum quoniam de eodem querelam aliquam inſtituere videri nolo, ejuſdem recenſione jam ſuper ſedebo,ne cui anſam cogitandi prebeam,quod ipſorum actionibus maculam aliquam aſpergere velim.Meam prôpriam fortunam accuſo,& queror. Voluntas Divina eſt; Manus Divina eſt, in quam incidi. Idcirco ſponte & absque ulla contradictione ipſi me ſubiiciam , & in Servatoris mei brachia & complexus me abiiciam : Ac

quando in hunc locum veniam, (his dictis truncum appositum ostendebat) à Deo me erectum iri spero; Quando ultimum vape mihi per fidem & spem pronunciandum erit, nescio quis animæ ex hoc mundo discedenti commodior comes adjungi possit, nisi charitas; quæ me ad coelestis gloriæ fontem per gratiam servatoris mei Iesu Christi, in quo omnis spes mea defixa hæret, uti confido, abducet. Fidei meæ infirmitati & debilitati quæso Domine auxilium ferto.

Hodges. Dominus justitiæ Filii sui te participem reddat, ac suæ gratiæ lumine animam tuam irradiet, spirituque sancto illuminet. O perchare Domine, Deus coeli & terræ tibi auxilio suo præstò sit; Deus coeli & terræ te ad felicitatem istam transvehat.

Hollandt. Accelerabo, quantum potero, ut hujus felicitatis compos evadere queam; Domino, qui coelum & terram in possessione sua habet, animam meam commendo, trado, & consecro. Fidem meam in ipso solo collocavi ea spe fretus, in ipso uno & solo gratiam me inventurum ex fonte illo emanantem, cujus scaturiginem peccatoribus sitientibus aperuit. Nullo alio medio, nullo alio pacto in Dei complexus & brachia ruere possum, à me ipso non habeo, non expecto nisi ea quæ me ad inferos præcipitem agunt.

Bolton. Sed mi Domine, quando alius justitiâ amictus es, gloriosa apparitione in conspectum prodibis, quanquam in præsenti statu peccatis commaculatus sis. Apostolus, in meâ, inquit,

inquit justitiâ propria inveniri nolo. Quando,in quam alius justitiâ vestitus es, Deus te recipiet. In dubium hac de re venire noli; Dico enim tibi Deus non vult mortem peccatorum, qui ad ipsum veniunt. Ipsius enim Passio & mors ad peccatorum salutem, & conservationem unicè tendunt. Hoc ex Divinis operibus maximum & summum fuit, quod Deus unquam in mundo operatus est, nimirum quod consilio suo æterno Christi Filii sui mortem per æternam suam & infinitam, sapientiam ad peccatorum liberationem & conservationem destinavit, ut hac unica via, & hoc unico pacto miseris & parditis animabus, ad æternam salutem & felicitatem reditus pateret. Profecto peccatores ad se adventantes non repudiabit. Mi Domine, hoc unum accurata pensiculatione examina. Maximum, & celeberrimum opus, quod unquam in mundo peractum esse scimus, est effusio sanguinis Christi. Nunquam tale quidquam contigit. In eorum vero gratiam sanguis iste profusus est, qui ad ipsum accessuri sunt. Si non pro his, certe pro nemine, ac profusio illa, vana & nullius efficaciæ esset. Diabolos illud animadvertere comperitur; Angelis nullo pacto hac profusione opus est; Impii homines ad Deum redire recusant; Quidam sunt, atque iidem pauci numero, qui ad ipsum accedere cupiunt, hos accessu suo prohiberet, Christi Passio & Sanguis profecto nulli usui essent, atque omni fructu carerent. Si tu Domine

ne Christo Domino nostro adfuisses, cum angustiarum doloribus ineffabilibus excruciatus sudoris sanguinei guttas de corpore suo manantes sudavit, atque eum interrogavisses, Quid modò agis? Num me Deo reconciliare conaris? Annon iræ Divinæ exstinctio te occupatum tenet? Annon animam meam à justitia Divina liberare niteris? Nonne tibi annuendo affirmasset, & se pro tua salute redimenda infinitos istos dolores exantlare tibi respondisset. Profecto jam te non reiiciet; Sine auxilio & gratia sua te hinc abire non patietur. Mi Domine, Passio ipsius finita est, præterit, abiit; Misericordia ipsius nobis relicta est. Hæc tantò major & altior est, in quanto majorem & altiorem locum se contulit, utpote qui ea de causa exaltatus est, ut majorem in te gratiam & misericordiam demittat. Tibi, mi Domine, infinitam charitatem ac innumerabiles, & infinitas in Christo divitias in memoriam revoca. Perii, vacuus sum, nihil habeo, miser sum, peccator sum; imò alia pejora ore proferto; Quò pejore loco res nostræ fuerint, eò plures & majores divitias nobis apud Servatorem nostrum per gratiam divinam repositas esse scimus. Et quid mihi scrupulum injicere posset, cum mihi certam & indubitatam viam hoc medio demonstret, quam ingressus gratiam acquirere, & misericordiæ suæ divitias nancisci possum, quibus acquisitis exclamare mihi licet; laus, laus & gloria soli Domino in æternitate, qui me miseram creaturam nullo pacto meritam,

& planè

& planè indignam in gratiam ſuam recipit. Hac re nihil certius nihil firmius eſt, quod videlicet Deus gratiæ ſuæ divitias inter homines diſtribuat, ut gloria ejus tantò manifeſtior. & illuſtrior evadens toti humano generi innotescat; Modo ipſi gloriæ ac gratiæ debitæ honorem exhibeamus; nunquam dubitandum nobis erit, quin copioſiſſimarum divitiarum poſſeſſores evaſuri ſimus. Hæc copia, mi Domine, ſolatium tuum eſto; Gratia copioſiſſima, charitas copioſiſſima, juſtitia copioſiſſima jam unicæ tuæ divitiæ ſunto. Huic unicæ columnæ ſalutis tuæ fundamentum innititor. Dominus intercedat inter Deum & te, quemadmodum fidei tuæ operatio interceſſit & operata eſt illud unicum, ut ipſum inter Deum & animam tuam reconciliatorem ſuſcitaret. Nullus igitur dubito, quin coràm Deo pro te intercedat atque cauſam tuam agat: Ad ejus, qui clementia & miſericordia ſumma præditus Servator omnia ea, quæ petis probè cognita atque perſpecta habet pedes, cuncta quibus cunque efficiendis vires tuæ impares ſunt, deponito, quamdiu vivis ipſius auxilium patiente animo, & immota fide expectato, atque in ultimo vitæ articulo conſtitutus fiduciam tuam in ipſum reponito. Hic divitiarum & gratiæ affluentia eſt incredibilis, miſericordiæ theſauri ſunt ineffabiles; Si non aperit, ante januam ipſius corporis exuvias abjiciens moritor inquiens; Hic mori cupio, hic gratiæ & miſericordiæ abundantiam invenio.

Hollandt. Hic locus est, in quo ante faciem, ejus me prosterno, in quo decumbo, ex quo me ab ipso erectum iri spero ad æternam gloriam per Servatorem meum, qui mea sola & unica spes est, à quo solo gratiam expectare possum, in cujus brachia spiritum meum commendo & depono; in brachia, inquam, cruore sanctissimo made facta, ut, quando cruentum hoc meum corpus, quod proprio sanguine suo hic maculatum procumbet, mihi hic relinquendum erit, ipse animam meam intutelam & defensionem suam infinitam suscipiat propter merita, dignitatem, & intercessionem mediatoris mei Jesu Christi, qui me precioso suo sanguine ex peccatorum meorum carcere foedissimo in libertatem vindicavit.

Bolton. Quamvis, mi Domine, hoc in loco vitæ, hujus caducæ finem facias, spe tamen firma teneor, ibi in altera vita te felicitatis tuæ sempiternæ initium facturum. Hic quidem vita corporea ad terminum consuetum properat: Ibi, verò Divinæ gratiæ & misericordiæ exitum nullum fore spero. Si hæc perpetua illa est aurora; si hæc gloriæ illius sempiternæ est resurrectio; Si Deo visum est te hic prosternere, ut te æterna gloria extollat, dicito; Salve Domine, Salve mors, quæ ad vitam iter sternis; Salve omne id, quod me prosternis, ut in hereditariam Christi possessionem immittar.

Hodges. Mi Domine; siquidem te ipsum Jesu Christo tradidisti, ut in eo inveniaris, certus sum, ac minime dubius, quin ultimo in judicio

judiciò ad dextram Christi consistes. Ideò mi dignissime Domine in felicissimo statu tunc constitutorum noster occursus mutuus fiet.

Holl. Com. Christus Iesus animam meam suscipiat; anima mea ejus fame & siti laborat. Nubes congregantur. Sed in omnibus meis difficultatibus & angustiis Dei solius auxilio spes mea fulcitur, atque firmiter confidit, meam salutem ex omnibus impedimentis ereptam in ipso confirmatum, & omnes Sathanæ quærimonias falsas remotum, atque animam meam, invitis calumniatoribus iisque omnibus, quos Sathanas in me concitare potest, in perpetuum gaudium deductum iri, ut ibi in æternum præsentia & benedictione Divina frui queat.

Hodges. Mi Domine anima tua creationis jure ipsius propria est, redemptionis & sanctificationis jure ad ipsum pertinet, & obsignationis jure quoque ad proprietariam ejus possessionem redit. Proinde, mi Domine, sublatis oculis aspice agnum Dei, qui ad Dei dextram sedens mundi peccata aufert. En Agnum illum Dei.

Holl. Com. En Agnum illum Dei, in cujus manus animam meam commendo. Agnum inquam Dei, qui in throno sedet, ut viginti quatuor illos judicet, qui se coràm illo prosternunt. Ipse spero lumina sua ex altitudine huc convertet, ac me clementi examine explorabit, qui in genua & faciem meam coràm ipso procumbo, qui ipsum adoro, qui in ipsius solius clementia fiduciam meam colloco, ac

miſericordiæ ejus me committo, ut, quoniam me ſanctificavit, etiam firma conſervatione me tueatur, & in clementiæ ſuæ favorem recipiat.

Bolton. Mi Domine, verborum iſtorum memoriam tibi refrica; *Nulla eſt condemnatio in iis, qui in Chriſto ſunt. Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus eſt hîc, qui juſtificat.* Quo circà mi Domine hunc unum Chriſtum reſpice, hunc unicum inquam Chriſtum, qui juſtificatione ſua nos Juſtitiæ ſuæ participes reddit. Nec infernus, nec mors, nec peccatum, nec Satanas condemnandi potentiam habent; Neminis in poteſtate hoc ſitum eſt; Chriſtus eſt ille; qui juſtificando omnia peccata tollit.

Hollan. Com. Profectò juſtitiâ Chriſti juſtificantis nos veſtiente & cingente nemo eſt: qui condemnatione aliqua nobis noceat; ideò ſpem & fiduciam in Deo, atque in juſtificatione ejus colloco. Quanquam diſſidium, lis, & ſimultas inter nos vigeant, atque animos noſtros turbent, firmiſſima tamen confidentiæ meæ ſpes me certum eſſe jubet, quod in eam gratiam traducar, qua Deus animam meam adventantem recipiet.

Bolt. Nullo dubitationis ſcrupulo angor, mi Domine, quin gratiâ Divinâ ad tantò majorem gloriam in coelo exaltandus ſis, quantò miſerius & deploratione dignius ſpectaculum in hac terra hominibus fueris.

Holl. Com. Interea Comes in circum ſtantem populi coronam oculos ſuos detorquens, ac militem quendam conſpicatus digito monſtravit

ſtravit inquiens; Honeſtus ille vir me captivum fecit; Cogitationibus tuis forſan hunc meum caſum non ominatus es, quod hoc in ſtatu huc venturus eſſem, cum certis conditionibus tecum meam deditionem paciſcerer. Porro, Watſon militarem præfectum equo inſidentem intuitus capite denudato, Domine, exclamabat, Deus te cuſtodiat, Domine Deus te cuſtodiat.

Bolton. Mi Domine te ipſum in miſericordiæ & clementiæ Divinæ brachia exporrecta abiice, & dic, Hic anchoram meam figere, hic mori cupio. Omni ratione Servator noſter eſt; Quo eundum nobis eſſet? Æternæ vitæ verba pronunciavit; in ipſo tu fiduciam tuam habes quamdiu in vivis es, expecta, ac in morte diffidentia aliqua ab ipſo te avelli non patere.

Hollan. Comes. Anchora mea jam ſit oportet; Ingentis tempeſtatis procella me obruens occaſio exiſtit, ut anchoram meam inveniam, quanquam magnis obortis tempeſtatibus paucos reperias, qui fiduciæ ſuæ ſpem eidem infigant. Sed ego confidam neceſſe eſt *(ei Deo,* inquit M. *Bolton, cui fidei tuæ anchora infixa hæret)* Imò ſpes mihi eſt firma, & certa, Deum fidei meæ anchoram demiſſurum in Ieſum Chriſtum, atque eam ob cauſam ipſi non diffidam, quamvis ipſius voluntate & mandato mortis hoc genus mihi ſubeundum videam, ſed per gratiam Servatoris mei mihi auxilium, & opem ferentem ipſi firmiter adhærebo.

Bolton. Miſericordiæ & clementiæ abundè

eſt,

est, mi Domine, adeo ut non sit cur dubitationis aliquo scrupulo labores; Qui ad ipsum veniunt, aliorũ auxilia ostiatim implorare non coguntur.

Comes Hollandiæ ad M. Bolton corpore se inclinans, Deum, inquit, precor, ut custodia sua te, tueatur; Preces hæ ex præceptis tuis profectę sunt. Familiam meam, quæso, præceptorum divinorum sedula institutione in formes, ut fideli animo & syncero corde Deo suo inserviant, ac majori sanctitate, fervore, & sedulitate, quam quidem à me omnes mei domestici incitati sunt, cultui Divino vacent. Ejus loci cura solicita tibi demandatur; Multa ipsis merita & beneficia præstare potes. Omnes & singulos, bonitati ac conscintiæ tuæ integritati cõmitto, & concredo.

D. Sibbald in Theatro ad Tribunum militarẽ Beecher iturus Comitem sequentibus verbis alloquutus est. Dominus gratiæ & misericordiæ suæ Divinæ radiis lucentibus animam tuam illustret, ac æternę beatitudinis te possessorẽ reddat.

Com Holl. Comprecatione illa finita Comes Beecher Tribunum militarem alloquutus post aliquot verba ipsi valedixit, ac denuo ad M. Bolton conversus, post quam pro cura & solicitudine ipsi gratias egisset, valedictione præmissa tandem protectioni Divinæ virum commendavit. Cui M. Bolton, Deus in hoc statu te confirmet, ac misericordiæ suæ exemplum in te edens efficiat, ut mors hæc tua tanquam transitus ad æternæ felicitatis, & vitæ possessionem te traducat.

Inde se avertens Carnifici, ut meas vestes, inquit, & corpus post executionem tibi demandatum

datum miſſum facias, en tibi libras decem exhibeo, quas veſtium meorum pretium ſuperare certò ſcio.

Carnifex. Placetne Excell. Veſtræ feriendi tempus ſigno aliquo mihi ſignificare? Cui Comes, Annon tibi hic ſpacium ſatis largum conceditur ut ſine impedimento munere tuo fungi queas? Quod ſatis prolixum eſſe affirmante reſponſione Carnifex innuit.

Bonton. Dominus, in quo ſunt veræ divitiæ, tibi robur tuum firmet, & augeat. Dominus coeli vultum ſuum ad te convertat. In extremo articulo te conſtitutum in libertatem aſſerendi potentiſſimus eſt. Ad eam humilitatem decidere non poſſumus; ut ex æterna Dei potentia excidamus. Deus te extollat, animum tuum puſillanimitate & ignominiæ circundatum fortitudine ſua erigat; ac tranſitum ad vitæ æternæ Majeſtatem & gloriam qua omnium ærum narum tuarum exantlationes compenſabuntur, promptum ac paratum reddat.

Holl. Com. Ad Carnificem Comes rurſus facie admota audi amice, ait, quando caput meum à corpore meo ſegregatum in ſublime extolles, vitta ſua tectum relinque. Poſtea miniſtros ſuos aſpiciens uni dixit, Optimè vale, honeſti viri officium functus es: ac alteri, Deus tibi præſto ſit; Viri probi titulum mereris. Mox hæc verba ſubjunxit; expectate; In genua procumbens peccatorum veniam à Deo petam. Atque ita in genua provolutus aliquandiu ſeria precatione iterum ſe Deo commendavit.

Bolton.

Bolton. Faxit Deus per gratiam & misericordiam suam, ut vitam in morte invenias.

Holl. Com: Quà procumbendo me extendam oportet? loco commonstrato ad theatri marginem propius accedens populi circumfusi coronam inclamavit dicens; Deus vobis omnibus benedicat; Deus vos ab ignominiosâ morte defendat, sive in bello obvenire, sive hoc pacto contingere possit. Deus faxit, ut animi vestri pace salutari coalescant, & miser ejusmodi casus hîc, quo oppressi sumus, ultimus in hoc regno existat. Hoc est unicum illud quod post animæ meæ salutem & incolumitatem à Deo precatione mea peto. Deum itaque rogo, ut hoc regnum, hunc populum & hanc nationem omni prosperitate & felicitate beare velit. Ad truncum reversus carnifici inquit, quo pacto mihi decumbendum est? ego nescio.

Carnifex. Corpore æquali & plano in ventrem procumbe; quo dicto caput trunco imposuit, dicens, num corpus meum propuis admoveam necesse est?

Carnifex. Imò aliquantum corpus removendum erit.

Holl. Comes. Ictus expectati tempus tibi signo dato innuam. Procumbens brevium precum recitatione admodum devota & seria Divinæ misericordiæ animam suam commendavit. Manibus postea elatis, ubi est, ait, vir? Ac Carnificem penes se conspicatus expecta, inquit,

quit, donec ex ſigno tempus feriendi animadvertas. Paulo poſt manu extenſa, ac tamen nondum planè paratus age dixit. His verbis ex ore ejus elapſis uno ictu Carnifex caput amputavit, ſublatumque populo oſtendit.

ANIMADVERSIO Capitalis qua Dominus Capel vita ſua nudatus ex hac miſeriarum valle diſceſſit.

POſt ſupplicium de Hollandiæ comite ſumptum Dominus Capel in theatrum deductus caput ſuum aperuit, atque animoſo geſtu quaquàverſus oculos ſuo coniecit. Adventantem Tribunus militaris Beecher rogavit, ubinam eſt capellanus tuus?

Capel. Non adeſt, nam ipſi jam valedixi. Animadvertens autem quosdam ex miniſtris ſuis præſentes lachrymis caſum hunc infauſtum deplorare, quæſo inquit, acquieſcite, & contenti eſtote; mox ex Tribuno militum Beechero quæſivit; quid? nam Domini tectis an vero nudis capitibus loquebantur.

Trib. mil. Beecher. Nudis capitibus loquuti ſunt: Ad theatri verò marginem appropinquans Dominus Capel, Hinc, inquit, Sermoni meo ad circumſtantium aures tranſitus vix dabitur.

bitur. Perrexit tamen ac ſequenti oratione auditores præſentes alloquutus eſt.

Capel. Diſceptationis meæ cum iis, à quibus huc miſſus ſum, ac ignominioſæ meæ mortis authores exiſtunt, habitæ exitum & concluſionem vobis recenſebo: Cum Sermoni meo in præſentia ipſorum finem imponerem, ultimis meis verbis integram ac non fucatam meam ſententiam expoſui, ac dixi, Me precibus meis à miſericorde Deo petiturum, ut infinitam in Ieſu Chriſto gratiam ipſis acquirere liceat; Idem adhuc ipſis precor, ac voveo, ut Deus coeli ac terræ dominus ipſis omnem illam iniquitatem & injuriam, quæ mihi ab ipſis multiplex orta eſt, ignoſcat. Hoc integro & puro animi celo ipſis opto, atque exopto. Ne hæc ut Chriſtianus in præſentia veſtra eloquor, ut re ipſa me verum Chriſtianum eſſe demonſtrem. Sed jam neceſſitas requirit, ut narratione ampliore & prolixiore non ulla alia etiam vobis manifeſtem. Proteſtantis Religionis veritatem profiteor; confeſſionis nimirum illius me aſſeclam eſſe dico, quæ morem illum in Anglia triginta novem capitibus ſtabilitum ſequitur. Benedicta confeſſionis eſt via, ac ejus modi via, ut nullam aliam bonam & ſalutarem præ illa agnoſcam, tantum ab eſt, ut Pontificiæ Religionis ſectator ſim, cujus tamen rei calumnia nonnulli me onerarunt. Hoc in præſentia veſtra nullomodo inficiari poſſum, quod opera bona quidem plurimi faciam, & credam, ea ſalutem æternam adipiſcendam nequa-

nequaquam facere. *Fidei meæ fundamentum & anchora hæc est, quod Christus me dilexerit, & se ipsum pro me obtulerit.* Fulcro huic unico innitor, ac huic basi insisto. Profecto aliquid vobis dicam oportet, tanquam Cosmopolita, sive totius mundi civis, ac eodem pacto etiam condemnatus, atque morti adjudicatus sum, modo inquam contrario omnibus legibus, quibus totus mundus gubernatur ense nimirum, & armis, inter quæ leges silent, quanquam gladio defensionem & honorem meum debeo. Sed non est cur his recensendis vobis moram diuturniorem objiciam, cum alio in loco hujus rei prolixam mentionem fecerim; credo quod aliorum mediorum opera comperietis, quibus ea in negotio argumentis usus fuerim, & quas inde consecutiones deduxerim. Sed hoc inusitatum & insuetum est. Vos Angli natione & ex Anglia oriundi in præsentia vestra. Anglum & Parem mori cernitis non ullis Angliæ legibus morti adjudicatum, sed, quod majorem admirationem meretur, modo omnibus Angliæ Regni legibus adversante, quantum quidem mihi innotuit, capitis damnatum. Necessitatis lege cogor vobis interitus & mortis meæ civilem causam & occasionem brevi narratione manifestare. Est autem ea, quod quinti præcepti à Deo ipso nobis præscripti & mandati observantissimus Legis Divinæ transgressor esse nolui. Hoc parentibus debitam oboedientiam à nobis postulat. Omnium Doctorum, qui opinionibus quidem aliquo pacto

 variant,

variant, communi tamen judicio & consensu innotuit, quod prærcertum dictum etiam magistratui debitam oboedientiam comprehendat. Equidem Magistratui atque ordine à Deo instituto hæc in negotio oboedientiam præstiti, atque illi parui sub cujus imperio vixi, & cui omnis obsequii vinculo obstrictus fui. Ac certum quidem est, (liberè ac sine omni affectu hic loquor) me propter observationem & oboedientiam quinto præcepto à Deo instituto, & proprio suo digito scripto debitam: hic jam mortem oppetere. Idcircò mei Domini, occasionis hujus vos alloquendi rationem habebo. Nullius mojoris ingeni ductum sequi possum, quam illius, quod de seipso loquitur: *Qui injusto judicio, & iniqua sententia alium condemnat, contra eundem etiam injustum judicium, & sententia iniqua pronunciabitur.* Profecto mei Domini nil potius duco, quam ex animo optare, ut Deus honore debito afficiatur, ac omnes homines ejus honorandi occasiones arripiant, & humili submissione, veraque poenitentiâ Deo reconcilentientur. Coràm vobis neutiquam inficior, sed animo aperto confiteor, me in condemnando Strafordiæ comite meam sententiam cæterorum sententiis adjunxisse, atque ità mortem ejus approbasse. Nullus dubito, quin illud commissum Deus omnipotens Filii sui, Iesu Christi dignissimi mei servatoris sanguine preciosissimo abluerit, ac etiam spero, eum simili ratione omnes eos, qui ejusdem sanguinis

Straf-

Straffordiæ Comitis profusi, mecum conscii sunt; purgaturum esse. Hoc verum esse affirmando confirmare possum, me in negotio illo ullius suspicionis sinisterioris onere non gravatum fuisse, nec quicquid feci, malo aut improbo animo fecisse. Liberè enim fateor, contra omne jus & fas futurum fuisse, si conatus ejus in tanti momenti negotio quod tunc temporis molitus fuerat, repressi non fuissent. Idcircò mihi videor non satis animosus in eadem re fuisse, atque ideò, plus culpæ sustinere; in cæteris autem ab omnis malitiæ suspicione liber sum. Verum quocunque pacto res sese habeant, firma in animo meo certitudo sedens me certiorem reddit; Deum illam noxam mihi ignovisse, atque sanguine filii sui Iesu Christi abluisse; Votis itaque ex intimis animi mei penetralibus profectis omnibus illis, qui eidem noxæ affines conscientiæ suæ motus graviores, & sibi adversantes ea de causa sentiunt, precor, ut à Deo commissi veniam petere, ac gratiam & remissionem impetrare queant: Et quoniam, mei Domini, occasio obtulit ut etiam Regis hujus nostri ultimi mentionem faciamus, de ipso nec loqui, nec Carolum Regem nostrum nuperrima cæde sublatum ullam cogitationem suscipere possum, quin dicam, cujus dotes egregias multiplici indagatione exploravi, judicio meo & fidelitate, & omnibus animi dotibus cum quibusvis mundi

principibus non dicam. Paria fecisse, sed ipsos etiam superasse. Deus Optimus Maximus filium ejus regem nostrum Divina sua tutelâ protegat; Deus ipsi felicitatem & vitæ longævitatem largiatur. Deus omnipotens ipsum eo pacto roboret, ut paternas virtutes & dotes sibi acquirere possit. Tanto Principi à consiliis fui, & haud exiguum cum ipso vivendi spacium transmisi, utpote cui ab annis decimo tertio, quarto, quinto & sexto adfui, iisque cum ipso habitavi. Profectò nunquam ullus adolescens tantam virtutum spem & expectationem unicuiqui fecit, quam Princeps ille adhuc in adolescentiæ suæ flore constitutus judicio grandi, ingenio magno, capacitate insigni, & majestate admirabili, qua ipsum natura dotavit; ut omnia magna uno quasi fasciculo complectar, comitate, humanitate, & honorificis moribus. Anglum verum & nativum se præstabat. Deum precor, ut in Regium solium reponatur, regnaque ejus in concordiam salutarem redeuntia pacifico vinculo iterum vinciantur. Deus felicitatem, ac benedictionem suam in Regna ista effundat, ac Majestati Regiæ vitæ diuturnitatem, & Regiminis felicitatem largiatur, ac faxit, ut infinita seriæ posteri ab ipso descensuri eò usque regna hæc possideant, donec æterni Regni adventus mundana hæc regna cessare jusserit. A Deo submissis precibus peto, ut Regem hunc adolescentem cum subditis suis omni

omni felicitatis & prosperitatis genere per gratiam. Domini nostri Jesu Christi beare velit.

Sermonis mei exordium materiâ suâ, quam continet, adeò mihi satisfacit, ut eàdem ipsam etiam orationis meæ finem esse velim, precationem nempe & votum, quo à Deo Omnipotente humili subjectione requiro, quemadmodum ab initio feci, ut in finitam & in æstimabilem suam gratiam iis exhibere non recuset, quorum machinatione & impulsu in hunc locum delapsus sum. Deum precor, ut tantum gratiæ ipsis subministret, quantum ab ipso votis seriis exquirere & optare possunt. Quantum ad me attinet, neminem ipsorum malefaciendo accusabo certè non faciam. Apud animum meum non cogitabo aliquid mali cordibus ipsorum insedisse, quoniam quæcunque fecerunt, seria remissione ipsis omnia condono. Coeli & terræ Dominus benedictionis suæ copia & affluentia vos ditet. Deus Omnipotens infinitam suam gratiam & bonitatem in vos effundat, & præceptis suis informet ad oboedientiam Regi Vestro debitam, ut Natio hæc in Regno hoc pristina sua felicitate & splendore iterum efflorescat, & oboedientia ac fidelitas à fidelibus & oboedientibus subditis profecta Regi hujus Regni omnem prosperitatem & felicitatem parturiat. Deus Optimus Maximus vos omnes tutelâ suâ præsentissimâ ex periculis omnibus eripiat; Deus Omnipotens huic Regno salutem & in columi-

tatem largiſſimâ manu offerat. Deus Omnipotens ab omnibus ærumnis & adverſitatibus vos ſartos tectoſque conſervet.

Hiſce verbis ſermonis; filum abrumpens, circumſpexit carnificem quærens, qui ex theatro aliquò deſcenderat. Ubi eſt nobilis? inquit], Quisnam eſt vir ille? Reſponſione audita, quod veniret, expecta, ait, donec thoracem & interulam meam prius exuero Carnifici verò interea in theatrum redeunti dicebat, accede mi amice; atque eum in genua pro cumbentem ſequentibus verbis alloquebatur: Ex animo tibi hanc muneris tui functionem ignoſco, ac non tantum ignoſco, verum etiam Deum precibus meis ſolicito, ut gratia ſua Divina ab hac ignominioſa vita ad meliorem, & honeſtiorem te abducat. En quinque librarum munere te afficio. Quantum ad veſtimenta mea, & reliquas has res attinet, ſi quid eſt quod jure tibi competere putes, aut dicas, debito precio abs te redimetur. Illud unicum tantum poſtulo, ne corpus meum denudetur; aut illud ab ullo alio niſi à miniſtris meis attingatur. Tu, amice fac mihi procumbenti ad precandum tempus concedas, quod vehementer abs te poſtulo.

Beecher. Tibi ipſi, mi Domine ſignum aliquod conſtituito.

Capel. Pauliſper expecta: in utralaterum conſiſtes, Carnifici dixit. Expecta; manus

manus meas ut aliquo pacto extendam mihi necessarium esse videtur. Annuente Carnifice, postquam parum constitisset; exclamatione repitita populo his verbis valedixit.

Deus Omnipotens hunc populum benedictionis suæ Divinæ compotem faciat. Deus Omnipotens hanc venam ruptam & sanguine manantem obturet, sanguinisque profluvium tantum sistat. Hoc actu negotium hoc non finietur. Deus alia ad negotium hoc conficiendum media ministret, aliaque remedia his ærumnis quærat. Hinc ad unum ex ministris suis se detorquens, Baldewine, inquit, haud multa, uxori meæ quæ nuncianda curem habeo. Illud abste postulo, ut ipsam admonitione tua ad fidem in Christum cohorteris, meisque verbis, quietam & tranquillam esse jubeas; Omnibus vero ministris suis præsentibus tandem dicebat, Deus clementi suo patrocinio vos ab omni calamitate tutos præstet.

Tum circum stantem coronam alloquutus, Domini mei, ait purvam & brevem meam petitionem apud vos locum invenire patiamini, nimirum ut preces vestræ meis se adjungant, atque eas usque ad mortem meam, spiritusque è corpore emigrationem comitentur, quo Deus animam meam ad se recipiat.

Beecher, Hoc exanimo precor.

Capel. Cuncti preces unitas ad Deum, emittite, quando ictus fieri debet; sed nullum strepitum excitate, ad suos ministros conversus inquiebat. In hoc enim, casu ejusmodi quid facere inconsultum est.

Minister, Mi Domine, vittam tuam capiti impone.

Capel. Num hoc faciam? nunquid commodi mihi afferre potest? parumper præstolare: Rectè est: His dictis comam suam ex collo in caput removebat.

Ad carnificem respiciens dixit; Honeste vir, tibi ignovi; propterea non est, cur timeas; quin præsenti & prompto, animo ictum feriendo exequere: Ex animo, tibi & serio remitto.

Nobili cuidam ipsum alloquenti, Non, inquit; Rogo acquiescas, mi Domine; contentus esto, contentus esto.

Iterum ad Carnificem converso vultu, rogavit; Age, annon paratus es, quando, me paratum vides? Manibus verò extentis quæso, ait, parumper à me recede. Tum ad theatri marginem propius se recipiens populum altiore voce inclamavit. dicens: Domini mei, quanquam vestram in mæ benevolentiam ne in minimam quidem dubitationem vocare queam, consultum tamen mihi visum fuit superflua, ex hortatione vos adhuc stimulare, ut preces vestras meis associantes animæ meæ gratiam, Divinam impetretis, quò Deus eam propter filii sui Jesu Christi misericordiam in gratiam suam recipere dignetur.

Car-

Carnifex, Placetne tibi, Domine,ut comam tuam colligem.

Capel. Facias quæſo. Hoc facto ſurgens manibus ac oculis in coelum ſublatis. O Deus? inquit, Animo integro & ſerio voluntatem meam tuæ ſubjicio; O Deus! Spontanea & humili voluntate me tibi obnoxium reddo. Poſt hæc in genua procumbens, prius, inquit, periculum faciam, quo pacto mihi procumbendum ſit: Capite in truncum ſe inclinans rogavit, num rectè jaceret.

Carnifici reſpondenti quod commodè, & aptè corpus ſuum jacendo aptaſſet, dixit. Hic utraque manus mea exporrecta jacet: quando dextram meam hoc pacto in ſublime erexero, ictum me expectatum excepturum ſcito.

Brevi tandem precatione abſoluta manu dextra carnificem feriendi tempus adeſſe monuit, qui ſecurim collo immittens uno ictu corpus capite ſuo privavit. Truncum corpus cum capite abſciſſo à miniſtris ejus capulo impoſitum atque ablatum eſt.

DECLARATIO

Parlamenti Angliæ, qua omnium suarum actionum caussas & fundamenta deducit, ac regiminis Regii in Liberam Reipublicæ gubernationem mutati occasionem & necessitatem manifestat.

ANgliæ Parlamentum Communitatis, seu Populi, quem repræsentat, suffragiis constitutum & electum, atque ab eodem ad bonum publicum conservandum & custodiendum publica authoritate armatum postquam diu multumque. Tyrannidi se opposuit, atque salutis eorum, quibus inservit, recuperandæ, omnis oppressionis Tyrannicæ amoliendæ, potentiæ in unius voluntate & arbitrio site removendæ, cunctæque se hujus Nationis paciæt libertati objicientis potestatis tollendæ causa multos jam annos cum eadem decertavit, humilima submissione, gratissimâque, animi recordatione incredibilem benedictionem sibi à Deo Omnipotente obtigisse fatetur, inprimis si virium suarum imbecillitatem ac benevolentiam & promptitudinem omnium huic negotio summo

ſummo ſtudio incumbentium conſiderat, ac cernit, hoſtium molitiones tam apertis quam clandeſtinis machinationibus & vires infirmas & benevolorum ſtudium oppugnantes nihilominus debilitatas, & labefactatas eſſe, ut voti ſui compotes fieri, & conatus ſuos efficere non potuerint.

Ut itaque, potentiæ ipſorum reſtauratio præverteretur, ac tyrannidis, injuſtitiæ, belli, & omnium calamitatum atque, ærumnarum hactenus exantlatarum redintegratio, præcaveretur, Parlamentum neceſſitatis lege inevitabili ad ultimam hujus Regiminis mutationem, ac renovationem, Gloriæ Divinæ, ac hujus Nationis. Bono Publico unico ſuo ſcopo ad quem omnes ſui labores & ſudores collimant, judicio ſuo maximè inſervientem compulſum ac detruſum eſt.

Id quò manifeſtius & apertius pateret, & univerſis ac ſingulis, ad quos negotium tantum attinet, ſatisfaceret, Senatoribus & aſſeſſoribus Parlamenti apertâ manifeſtatione actionum ſuarum fundamenta & rationes in publicum edere, atque toti mundo ob oculos ponere viſum fuit.

Ea opinione imbuti ſunt, nullo pacto negare aliquem aut poſſe, aut velle, primam Regi muneris originem, atque inſtitutionem apud Nationem hanc manaſſe ex unanimi conſenſu & convenientia Populi, à quo conſentiente Rex electus eſt, ut munere regio fungens eos, à quibus electus eſt, ſecundum

dum jura concessa protegeret, eorumque securitati, in columitati ac felicitati patrocinaretur.

Omnes, qui historias nostras lectione suâ per currerunt, exactâ pensiculatione animum advertant, quàm parum non justitiâ solum administrandâ, sed etiam debitâ pro subditorum salute curâ gerendâ rerum suarum reges illi sategerint, & quàm negligenter officio sibi mandato functi fuerint.

Quot verò, ac quàm multi summo labore ac contentione in id unum incubuerint, ut potentiæ ac ambitioni suæ propriæ indulgentes seipsos exaltarent, ac summa subditorum suorum expressione, calamitate & miseria, sanguisque Christiani profusione cupiditati suæ de vanissimo honoris, est authoritatis titulo ambitiosissimè laboranti satisfacerent.

Si in serie illa Regum à primis ad ultimum hunc descenderint, diligenter examinent, quantum defunctus Rex antecessores suos in iis quorum conservationi maxima contentione studere debuisset, perdendis & pessundandis antecelluerit, ac quod loco profectionis in omnes suos subditos diffundendæ eò femeritatis & audaciæ progressus sit, ut furoris, quo accensus erat, violentiam ægrè aliqui evaserint.

Ut rei veritas manifestò pateat, operæ precinnuerit, compendiosiore observatione nonnulla in regimine ab ipso gesta annotare, & excutere, exquibus liquebit ipsum majoribus suis in ejusmodi casibus malitiâ longè superiorem

fuisse

fuisse malitiamque similem ex ullo exemplo ante hac pœnâ affectorum, aut pœnam meritorum colligi & perspici non posse.

Non solum tempore illo, quo Parlamentum, Regiminis sui anno secundo dimissum est; verum etiam antea prodidit oblivionem quandam naturæ penitus contrariam, quâ violentem Patris sui mortem delevit, atque, inquirere destitit eventum Rupellanis, atque insulæ Ree tristissimum, cujus ærumnas & afflictiones miseri Galliæ Protestantes adhuc sentiunt, & jure ac meritò deplorant: qua factum est, ut plurimi captivitate miseranda & injusta opprimerentur, multaque, onera maxima Populo imponerentur unde excellens illud petitionis jus manavit, cujus beneficio oppressi secundum legem nuper causas suas egerunt, quod tamen ipse mox multis in partibus infregit, postquam paulò ante solenni consensu idem approbasset. His ab ipso gestis accedunt & alia multa; Captivitas nimirum & persequutio membrorum Parlamenti, qui voluntati ejus injustæ sese opponebant; diversorum item mercatorum, & hominum honestorum, qui nova vectigalia mercibus imposita solvere negabant, eò quod sine Parlamenti consensu imposita essent, & contra jus & fas ab ipso summa vi exigerentur. Animadversio in multos Patriam hanc suam summo amore prosequentes, quod condere & permittere ipsi nollent ea, quæ juribus & legibus notissimis adversantia ab ipso petebantur. Monopoliorum institutio, & similes

miles aliæ actiones mercaturam pessundantes. Propositum & mandatum de Germano equitatu in hoc Regnum introducendo, ut nos servitutis onere perpetuo premeremur, & ipse spem suam conficeret, quam de pecuniâ nauticâ concepit, atque ità unius cujusque facultates in manibus & potestate ejus versarentur, ut pro lubitu eas cuivis conatui suo promovendo & efficiendo prompta auxilia substernere posset. Privatæ & peculiares solicitationes compensationum & re munerationum pollicitationes, ac minæ, quibus judices plures à fidelitate sua abduxit, atque alios abducere conatus est, ut contra suum & ipsius juramentum voluntati ejus injustæ justitiam post haberent, atque omne jus & fas infringerent. Oppressio omnium suarum curiarum, & judiciorum, Consilii Magni, ster cameræ,judicii Marsiel,judicii de Wardsips, Pursiveyances, ordinis Equestris Afforrestationum, & multorum ejusmodi aliorum quæ hic omnia recensere nimis longum foret. nec etiam opus est, cum in recenti memoria hæreant.

Naturæ repugnans Servitus Pontificiis militibus constanti exercitu injecta est Hibernis, quos vi armata voluntati & arbitrio suo subjicere conatus est, ut hac ratione ex lubitu & arbitrio suo potestatem obsolutam & nullis legibus aut gubernationis capitibus ad strictam exerceret, eandemque tandem etiam huic Regno tanquam capistrum injiceret.

Diuturna mora, & intermissione frequenti:

Par-

Parlamenta noſtra in deſuetudinem abire voluit, me eorundem oppoſitione in poſterum divexaretur. Prima tranſmiſſione novi libri inſtituta Eccleſiaſtica concernentis, qui ſervice booke appellatur, in ſcotiam Regnum illud ad appoſitionem concitavit, neque, Anglis animum addidit, ut Scotorum conatibus obviam irent, quæ actio præter omnium de ſucceſſu aliquo planè deſperantium opinionem nobis ultimum atque breve Parlamentum congregavit. Congregationis autem iſtius hic erat ſcopus unicus & ſolus, adquem Rex collineabat, ut nimium ſuæ voluntati ſatisfieret, pacis cum ſcotis initæ diremptio tegeretur, ac duodecim ſubſidiis à ſe petitis injuſtiſſimum & iniquiſſimum ſuum vectigal nauticum redimeretur. Spe hac præter opinionem, excidens petulanti admodum auſu Parlamentum, ſubito atque de improviſo diſſolvit, magnaque, plurimos homines conſternatione turbavit.

Scoti Regem promiſſis juramento firmatis non ſtare videntes, actionemque talem nobis omninò diſplicere animadvertentes exercitum ſuum ex Scotia in Angliam traduxerunt. Rex multorum iniquorum & incommodorum mediorum occaſione magnam manum militarem coëgit, atque in boreali hujus Regni parte caſtra poſuit, ut Scotorum conatibus obviam iret. Ibi multis petitionibus ex diverſis locis advenientibus, conſiliiſque multorum virorum honeſtate & authoritate valen-

valentium permotus, imò verò ac præcipue animadvertens, quam inviti utriusque Regni incolæ eodem tempore ad perniciem & eversionem mutuam, eorumque omnium, quos penes se habebat, & quorum custos ac protector esse debebat, interitum accederent, ac tandem desperato exitu omnem spem abiiciens ad illam sui muneris partem, qua Parlamentum congregare devinctus erat, confugere coactus fuit.

Magna pecuniæ vis à populo Angliæ exigebatur, ut illi satisfaceret, à quo tanto detrimento mulcatus est. Utrique exercitui stipendia soluta ab iis, qui ejusdem collectionem nec occasione aliqua data concitarunt, nec assensu suo probaverunt. Sed quod maximum atque præcipuum est, Angliæ Regni exercitus contra Parlamentum à Rege solicitabatur, & incitabatur. Res adeo stupendæ atque omni naturæ adversantis impietatis in Rege Angliæ subditos suos ad mutuam cædem incitante, & impellente, quæ nulla responsione aut excusatione dilui potest. Omnem fidem superat, ac ægrè verisimilis videri potuisset, nisi sequentium actionum eventus illam demonstrasset.

Hujus conatus primos fructus senserunt Hiberni fratres nostri miserandi, quorum tot millia tàm mirè actam crudeliter sublati sunt, ut omnium hominum animi misericordia incredibili concussi casum tam horrendum & funestum non injuria deploraverint. Ac quamvis Rex extra culpam se esse diceret, nonnulli tamen homicidarum istorum apertè fassi sunt. se

ex

ex mandato & juſſu Regis illud facere, atque ita actiones ſuas Regis voluntate excuſarunt.

Ultima ac vilis ejus proclamatio quâ homicidas iſtos rebellionis reos pronunciavit, ac conſenſus, quo inducias cum rebellibus pactas ratas habuit, nil niſi conatibus ejus auxilium tulerunt, ac proteſtántum progreſſus maximè remorati ſunt. Commeatus & annonæ Hibernis Proteſtantibus transmittendæ impedimentum & ablatio innocentiam ejus non teſtantur, nec ab innocentis, atque vindicta n clamantis ſanguinis profuſione neutiquam innoxium præſtant.

Sed ad Angliam redeamus, in qua triſtitiæ & calamitatis ſeges erat uberrima. Rex ipſe Parlamenti conſeſſum in inferiori domo ingreſſus eſt, ut quinque ejuſdem membra ſeu aſſeſſores in vincula conjiciendos curaret. Sequebantur eum aliquot centeni homines vitæ profligatæ & inordinatæ, qui gladiis, ſclopetis minoribus, aliiſque ejusmodi telis armati ante Parlamenti januam expectabant, ac ad ea, quæ Dux ipſis mandaturus eſſet, efficienda parati erant.

Poſtea ex diverſis occaſionibus in dubium populus venit, ac veritus eſt, Grauamina ſive onera, aliaſque in quas conjectus erat, difficultates nec ſublatum, nec ullum iis remedium quæſitum iri. Hinc orta confuſione, ac motu aliquo inter vulgum concitato Rex abeundi occaſionem arripuit, atque Londino Kingſtonum ſe recepit, ubi mox militares quaſdam copias ex ſuæ farinæ hominibus conflatas offendit.

Inde in ſeptentrionalem Angliæ partem concedens exercitui colligendo operam navavit, pluresque Parlamenti utriuſque aſſeſſores à fidelitate ſua abducere, & ad ſuas partes pertrahere molitus eſt, ut ita illos ſibi adjungeret, atque fratres ipſorum, ipſosque illos à fratribus ſuis deficientes in interitum præcipites ageret. Qui juſtam poenam meriti ſupplicio debito afficiendi erant, eoſdem ipſe protegebat. Nottinghami vexillum ſuum erexit; Ex Wallia, & Marches potentiſſimum exercitum collegit, atque, propè Edgil primo in ſultu ſibi reſiſtentens adortus eſt.

Oxonium occupavit, caſtraque ſua ibi metatus eſt, pagos circumjacentes, reliquaque loca vicina impetui hoſtili ſuſtinendo apta munimentis militaribus firmans, atque omnia ad ſerium & ſanguinolentum bellum neceſſaria ſtudiosè adornans. adeò ut Parlamentum omnium ſubditorum corpus repreſentans acerrimo bello adoriretur, ac rem effectui daret, quam nullus regum antehac ullo unquam tempore in hanc ſuam nationem auſus fuit, & omnes homines ſumma animi conſternatione & triſtitia in poſterum meminiſſe neceſſe eſt.

Subditorum civitates, pagi, & domicilia incendio conflagrarunt, & everſa ſunt; amoenæ poſſeſſiones, & prædia vaſtata incineribus jacent; Hæreditates ereptæ donoque datæ iis, qui in malitia exercenda primas tenuere; Miniſtri, fratres, conſanguinei, amici, liberi, & uxores horrendis cædibus perierunt. Atque, hoc pacto

pro-

proprios ſuos ſubditos, quorum defenſioni & cuſtodiæ muneris ſui ratione devinctus erat, &. à quibus omnem injuriam depellere debebat, ipſe incendio & gladio perſequutus eſt, captivos fecit, atque omnibus belli cruciatibus & miſeriis affectos necavit. Nihilominus interea temporis, cum omnia bello, incendiis atque cedibus oppleta eſſent, à Parlamento diverſę ablegationes ad Regem tranſmiſſæ variis modis pacem propoſuerunt, quæ tamen nullo pacto obtineri nec ullus ipſi conſenſus pacificus extorqueri potuit, cum tamen vel minimum ejus verbulum conſenſum aliquem ad pacem proclivem præ ſe ferens diluvium illud ſanguinis, atque, inundationem miſeriarum cujus obices ipſe pertotum ſuum Regnum removerat, facili negotio obturare & ſiſtere potuiſſet.

Poſtquam Deus Opt.Max. proeliis ſecundis Parlamenti cauſam juſtam vehementer promovit, ac Regis potentiam ferè totam in nihilum redegit adeò ut Rex rebus ſuis planè diffidens etiam copiarum ſuarum fidelitati amplius inniti non poſſet, Anglos reditu ſuo non dignatus eſt, ſed ad ſcotos populares ſuos ſe recipit, quibus & ſe accipiendi, atque iterum conditionibus prolubitu præſcriptis dimittendi honorem & gloriam attribuit.

Poſt detentionem autem ſuam abutriuſque, Regni Parlamentis porrò de pace diverſis vicibus compellatus eſt, & quidem eadem propoſitione, cui rerum ſucceſſus felix nullas acceſſiones adjecit. Sed apud Regem locum non inve-

 nit,

nit, quandoquidem novi conatus ex ſuorum conſiliis & molitionibus emanantes novarum miſeriarum & ærumnarum cumulo populum oneraturi erant. Hæc omnia propoſitioni propoſitæ conveniens tranſactio facili negotio prævenire potuiſſet. Verum poſtquam omnia irrito conatu tentata eſſent, tandem Parlamentum de ipſo non amplius compellando decretum fecit, ac ſuffragiis firmis conſtituit.

Ultima verò æſtate cum conatuum dictorum fructus ubique de novo erumpere inciperent, interea dum ipſe in cuſtodia detineretur, ac nova ſanguinis ſcaturigo ejus nomine aperiretur, aſtuta & profunda molitio ipſum infernum (ut ipſi de ſe his terminis gloriabantur) aſtutia & profunda ſubtilitate ſuperans fabricabatur. Exercitu in diverſas partes hac atque illac diſperſo in plurimis locis ſubita eruptione incendium eluctatum eſt. Ac quoniam metuebatur, ne Anglorum numerus nimis paruus, aut miſericordia ipſorum erga populares ſuos nimis magno foret, facili negotio maligna Scotorum pars huc evocata fuit, quæ ab initio quidem foedus pactum ſano ſenſu interpretata, ac Angliæ Parlamento ſe jungendo, & Regiæ parti adverſando ad ſcopum in eodem foedere propoſitum collineavit, judicio tamen ſuo ſe correxit, ac Regis partes deficiens jam alteram & priorem perſequitur, ac foederis ſui ſocios Angliæ videlicet Parlamentum oppugnat. Sed Deus ludibrio haberi non vult. Nam quanquam hæc miſeriarum novarum nubes non modo hic, verum

verum etiam in Septentrionali hujus Regni parte huic nationi vehementiſſimam afflictionem minabatur, & omnium hominum judicio nobis extremam perniciem & interitum portendebat; Divina tamen providentia & Manus admirabilis, quemadmodum ſepè antehac, ità etiam in præſentibus anguſtiis & d.fficultatibus, quod ex potenti & miraculoſo eventu clariſſimè patuit, exercitum noſtrum, quo tanquam inſtrumento uſus eſt, tam animoſa ſapientia & fidelitate dotatum adeò dextrè & filiciter conduxit, ut hoſtes noſtri devicti in admirationem & ſtuporem rapti, & nobis quæ pretioſa erant, conſervata fuerint.

Durante autem hac everſione (quibus autem mediis, ſatis patet, atque affatim in latiore declaratione manifeſtatum eſt) octava compellatio ad Regem dirigenda erat, quam aſſeclæ ejus fabri caverant, adeò ut Parlamenti vota & decretum è contrario revocari, & in inſulam Vectem deputati mitti debuerint.

Ubi cum juſtiſſimis Parlamenti petitionibus ſatisfacere, ac pacis tractationem ſeriam ſuſcipere debuiſſet, pacificationis, qua ſe diſtineri ſimulabat, loco novi belli molitio & conatus ſerius, ac plenior ſanguinis ex ſubditorum ſuorum corporibus promendi aviditas ipſum occupatum tenebant; Qua de cauſa etiam utrumque ſuorum filiorum adultiorum ad hoſtilitatem incitatum, ac potentia armatum novis mandatis ad populi everſionē ſummo ſtudio animavit.

Itaque horum aliorumque incomparabi-

li sum ab ipso commissorum criminum, Juramenti ac protestationis non servatæ, perjuriique insignis, sanguinis in Hibernia & Anglia clamantis, lachrymarum à viduis, & orphanis profusarum, ac tot myriadum experegrinis juxta ac indigenis cæde horrenda sublatarum occasione & respectu quisque nullo unius aut alterius partis præconcepto favore judicet, an Parlamento Regem justitiæ subjiciendi rationes & occasiones satis ponderosæ & sufficientes non suppetierint?

Objiciebatur tamen, & Rege ipso affirmante dicebatur, omnes eos, qui cum Rege in simili statu & dignitate collocati essent, nemini nisi soli Deo, cujus uncti sunt, actionum suarum rationem reddere debere. Unde nos eam consequentiam promamus necesse est, omnes hujus regionis homines unius & solius ejusmodi viri, Regis nimirum, causa creatos esse, ut ex ipsius arbitrio cuncta quæ velit, faciant, perinde ac si omnes nullam aliam ob causam nati essent, quam ut ejusmodi hominis unius libidinem expleant, & perversi Tyranni voluntatis victima sint.

Hoc haud facili negotio verisimile, aut credibile fieri potest, a Deo Opt. Max. sic institutum esse. Injustitiam enim nullo unquam tempore stabilit, sed severis suppliciis & poenis coercet. Cum Populus ejus Regem expeteret, ira vehementi exacerbabatur, ut Sacræ literæ nos docent, quæ nullo unquam tempore ipsi displicuisse asserunt, quod Regis alicujus

cujus imperio se obstringere noluerit. Ejusmodi præfectus omni ratione reddenda exemptus profectò monstrum esset, si inter homines admitteretur. Verum doctrina & disquisitio hæc Regium munus concernens in præsenti hoc sæculo nostro melius, quam superioribus temporibus intelligitur, & eò minus refutatione aliqua digna, quo magis se ipsam refellere potest.

Quantum verò ad illud attinet, quod de uncto dicitur, nullus ex Theologis peritioribus dictum Angliæ Regibus applicandum esse concedet, cum de Judæ & Israelis Regibus intelligendum esse noverit. Ac non magis Regi quàm cæteris magistratibus atque Dei ministris convenit, & aptari potest. Imò verba, ne unctum meum attingite, non de Regibus dicebantur, sed ad Reges, quibus objurgatis in mandatis dabatur, ne prophetas aut Sanctos Dei, qui in eo dicto uncti Dei esse intelliguntur, malo ullo aut incommodo afficerent.

Alia objectio priori subjungebatur; nimirum Regem accusationi, exanimi, ac capitali supplicio exponere rem esse, quæ exemplo penitus careat.

Talia erant ultimi Regis crimina & commissa, quæ exemplo certè carebant. Israelis Filii profecto nullum habent exemplum notum, aut jura cognita, quorum vigore horrendum & turpe illud peccatum in Levitæ uxorem commissum punivissent; sed Deus facinus illud foedum puniendum sibi reservavit.

Nulla exempla eorum desunt, qui hunc regem capite plexum antecedentes à Regio suo munere Parlamentorũ authoritate remoti sunt, quamquam non apartè, sed clam & in angulis occultis, claudestina morte turpiter perierunt. Sed huic, Parlamento aptius & consultius visum fuit, ut honoris justitiæ competentis conservandi gratia Regi pulchrum & apertum in totius mundi conspectu examen concederent, quod in maximè publico Justitiæ loco à plusquam centum nobilibus judicium exercentibus peractum fuit, ubi ipsi liberum & integrum fuisset, si modo voluisset, purgare se ab ea criminis sui parte, cujus accusatus fuit, prout utrumque Parlamentum eum antehac conjunctis suis declarationibus ejusdem reum fecerat.

Criminibus ejus tanquam individuus comes se adjunxerat mirus quidam & pertinax, atque inde fessus subditos suos evertendi labor, studiumque in desinens, in quibus puniendis nulla remissioni datur locus, sive Reges, sive alii fuerint; cum nulla satisfactio recipatur à latrone aliquo, sed certè ejus modi homo poena debita afficiendus sit; ac terra non possit purgari à Sanguine in ea profuso, nisi ejus sanguine, qui eandem profudit. Hoc in Rege hoc supplicio digno sublato præstitum est.

Rege mortuo ejus Liberi in proximam deliberationem inciderunt: Ab his ramis nil aliud expectandum videbatur nisi amari fructus radicem & stirpem sapientes, quales Regnum hoc Patris imperio pressum satis gustavit. Pater certè pro-

tè proprias suas vias ingressus est; vestigiis ejusdem duo natu majores principes nimis maturè insistentes præcipiti hostilitate Parlamentum armis suis aggrediebantur. Nulla ab ipsis major salus, aut certior incolumitas, quam à Patre proficisci poterat; nec rebus ita stantibus, quantum quidem humana conjectura assequi potuit, ulla pacis certæ & firmæ recuperandæ via ostendebatur, nec spes affulgebat ulla futuras turbas impediendi, & evitandi sucessionem miseriarum & calamitatum continuam, nisi ejusmodi hominum successio tandem penitus tolleretur. Ex eâ enim hactenus, tanquam ex scaturigine in exhaustâ manarunt omnes Regum, atque parasitorum & Gnathorum Reges perversis suis consiliis seducentium machinationes & conatus perniciosi, Regnoque exitiosi, qui inposterum sine fine iterum ex hoc fonte emanaturi essent, si radicitus non tollerentur, & ipsa in scatebra non obturarentur.

Sed eos Regni hæreditate excludere, quibus titulus & corona jure hæreditario competit, justitiæ ex diametro repugnat. Ad hanc objectionem regerimus; rem firmam ac certam esse, quod antiquissimum jus ad populum pertineat, & qui sibi regendi jus tanquam maximus natu antiquissimus jure ac meritò arripit. Si quo titulo & jure maximus natu filius Regnum sui juris esse contendere velit, eodem jure Patris sui culpâ excidit, qui actionibus seu criminibus suis & se & filium suum jure suo privavit. Fieri hoc solet non solum in aliis

casibus

casibus & occasionibus, verum etiam in munerum & officiorum hæreditatibus, quæ dissolvi & amitti solent perjura & infideli ejusmodi munerum administratione; Atque hanc conditionem omnibus officiis publicis adhærere nemo est qui inficias ire velit aut possit, cum malis suis facinoribus & sceleribus non ipse solum præfectus se eodem orbet, verum etiam hæredes suos hoc pacto in capaces redditos excludat. Sed in hujus Regis Filiis hoc adhuc accedit, quod Parlamento bellum inferant; de minoribus autem liberis probari non potest, quod nascendi jus ipsis aliquid hæreditatis Regiæ attribuat.

Verum ut Populi authoritatem latius deducamus, certum ac manifestum esse asserimus; Ei authoritati & potestati, quæ Regem aliquem instituit, eundemque publicæ saluti custodiendæ & protegendæ præfecit, si comperiat, eum corruptum atque ab æquitate aversum ad subditos miseriis & angustiis divexandos proclivem esse, omnis justitiæ vigoræ liberum atque integrum erit de eodom prolubitu disponere, & videre, num illum, cujus electio ipsi placuit, & quem præfectum instituit, diuturniore regimine continuare, an vero Regimen mutare, & in Tyrannidis locum liberum, & nullis regibus subjectum statum reponere velit.

Hoc in negotio Parlamentum summam animi fortitudinem adhibuit divinam benedictionem inspiciens, quam Deus aliis Regiminibus & Rebus publicis ejusmodi mutationem occipientibus

pientibus largitus eſt. Romani poſt ejectos ſuos reges forma regiminis in meliorem mutata per aliquot centum annorum ſeriem in longe proſperiori rerum ſtatu verſati ſunt, quam cum Regum, & Cæſarum imperio premerentur. Venetorum Reſpublica mille & trecentorum annorum ſpatio florentiſſimo & proſperrimo ſtatu hactenus utitur. Quàm longè Helvetiorum & aliarum nationum Reſpublicæ divitiis, libertate, pace, & felicitate alias terras ejusmodi ratione vivendi non fruentes antecedunt? Belgii Uniti provinciæ nobis vicinæ ad quantum divitiarum, libertatis, commerciorum ac fortitudinis terra marique faſtigum ſurrexerunt ab illo tempore, quo ſervitutis jugo excuſſo ſe in libertatem vindicarunt. In Rebuspublicis Juſtitia rectè & ordine adminiſtratur; Magnates tantam potentiam non habent, ut impotentiores & pauperiores opprimant; Pauperibus de alimentis neceſſariis proſpicitur; Civilium bellorum cauſæ & occaſiones præcaventur; Defenſio eſt unanimis; Peculiares ambitiones, ſucceſſionumque jura (quibus multos jam annos hæc Natio divexata fuit) ac ſimiles incommoditates omnes remotæ periculis nullis ejusmodi ſtatus liberos exponunt; Conſcientia omnis generis hominibus eſt libera; admunera publica cuivis aditus patet. Sed è contrario Monarchiæ noſtræ tempus meditatione accurata ſi percurramus, facile animadvertemus, quâ injuſtitiâ, quâ ſervitute, & quibus injuriis vulgus oppreſſum ſit. Imò res

eo tan-

eo tandem rediit, ut magnatum non nulli ministris, servis, ac familiæ sibi inservienti cibum talem, aut tantum quietis vix permiserint, qualem aut quantum equis, & canibus suis impertiverunt. Ante hac Parlamento indiciū factum à defuncti Regis, consiliariorum secretorū uno, ni caveremus, tandem futurum, ut amisso Parlamenti jure idem nobis eveniat, quod vulgo Monarchiæ alicui subjecto, ubi privati homines vilissimo vestitu, ac ligneis calceis contenti, ac parcissime & durissimè viventes spiritibus quā hominibus externâ corporis figurâ similiores sunt. Hoc in nos decretum, & quasi fatalis quædam miseria nobis destinata fuerat, si Monarcha noster superior factus nos potentiæ suæ subjecisset. Ut autem hoc effectui daretur, Bestiæ Magnatum silvestris pauperū frumento pascebantur & saginabantur; Uxor & liberi communis alimenti panis nimirū penuriâ sæpè famem pati cogebantur, sæpè famelici stratum repetebant; Mercator magnati alicui maxima sortis suę partè concredita, aut creditor alius aliquis pecuniæ suæ solutionem justissimam & æquissimam expectantes sepissime vilibus verbis, quandoque etiam verberibus remittebantur; Magno precio redimebatur, jus quo dicebatur Magnatibus ac Regibus ministris id privilegii esse, quod videlicet ab omnibus detentionibus, & debitorum exactionibus liberi nullis judiciis aut litibus vexari possent. Jus hoc imò summa injuria multos creditores, & familias non paucas injustè à debitoribus ejusmodi jure omni solutis dilapi-

datis

datis & profuſis bonis ad paupertatem redactes peſſundedit.

Navicularius cymbâ, auriga & ruſticus curru & equis & alii aliud vitæ genus degentes ſtatuto præcio Regi inſervire cogebantur; Precium ægrè etiam ſolutum vix ad panem emendum ipſis ſufficiebat, cum miſeris uxoribus & liberis præter maritorum laborem nihil ad ſuſtentationem ſuppeteret. Unum profectò tributum aulicum Purveyance nomine, quod majores noſtri bonis atque ſalutaribus legibus temporis progreſſu in deſuetudinem verſis in ordinem redegerunt, nupera ſupputatione tantam conficere ſummam inventum eſt, quantam Regnum annuæ totius exercitus ſuſtentationi non impendit.

Atque hæc à quibusdam in genere animadverſa ſunt, ut & plures aliæ publicæ ex actiones, quæ non ſolum intellectui odioſæ, verum etiam quamplurimis eorum, qui ſumma triſtitia omnis generis miſerias tolerabant, admodum ſenſibiles erunt. Sed ſi maximi aulæ Regiæ ſumptus, impenſæque ingentes in omnis generis luxuriam & exceſſus protervos factæ conſiderantur, ſumptum tantorum magnitudini ex actionum copiã nullo pacto reſpondiſſe reperietur.

Ab una enim parte maximarum impenſarum occaſiones fuêre in ordinata cupediarum, & deliciarum abundantia ingens quidem, ſed tot catillonum & liguritorum, qui pigritia inutiles, imo terræ pondera inutilia nemini commodum aliquòd præbebant, palatis delicatiſſimorum ciborum

ciborum & potuum avidiſſimis ægrè ſatisfaciens; Feſta ſumptuoſa, Ludivani, Comoediæ, Tragoediæ, (exercitia diebus ſolis uſitata) aliaque ejusmodi, quæ minus offenſionis, & plus ſumptuum habebant, magni item pretii præparationes jucunditati & recreationi in ſervientes; Omnium harum rerum conſervationi & exercitationi ſumptus neceſſarios ſuppetebant multa jungerum millia, terrarumque plura milliaria, imo magnæ Comitatuum partes, quæ ad uſum hunc deſtinatæ in longe meliores & Communi Publico multo utilioris collocari potuiſſent.

Ab altera verò parte ut ſumptus in immenſum creſcerent, in cauſa fuerunt Donationes non neceſſariæ, ſeu annua ſalaria & penſiones compenſationis loco iis conceſſæ, qui inſtrumenta apta & idonea habiti, ut ad Tyrannidem introducendam & promovendam adhiberentur, aut aliis, qui de Rege dependebant, ipſique aut ſanguine affines, aut aliaqua occaſione conjuncti larga & liberali ejus manu ſuſtinebantur. Sumptum in ejusmodi homines impenſorum teſtes ſunt diverſæ rationes quinquaginta millium librarum ſummam excedentes, quæ annuo ſpacio ex Regio theſauro ſolutæ ſunt Scoticæ Nationis fautoribus, ut alias impenſas taceam, ſubſidia nimirum clandeſtina privatæ crumenæ collata & id genus alia plura Quæſtoribus optimè nota (quæ fortaſſis cauſa ipſos impellit, ut poteſtati Regiæ in hanc nationem tantoperè patroci-

trocinentur, quandoquidem Rex ipſorum conterraneus eſt.)

Qui jam tot millia ſingulis annis hoc vivendi modo prodacta & dilapidata eſſe animadverterit, ac audiverit, legitimos & ſolitos Regni reditus cum vectigalibus aliiſque nonnullis utilitatibus varium regiarum & munimentorum conſervationi deſtinatis centum mille libris minores fuiſſe impenſis illis, quæ ad Regis, & omnium eorum, qui à Regio ſtatu dependebant, Juſtentationem requirebantur & impendebantur, non ſine ratione inadmirationem rapi poſſet, unde & quibusnam auxiliis ſecretis & ignotis hæc luxuriæ & protervitatis flumina tanta copia abundaverit; Niſi in vulgus nota eſſent monopolia, officiorum & munerum venditiones, donationes, poenarum criminalium redemptiones, aliique modi ſimiles, qui populum argento emungentes, ac tam impiè pecuniam corradentes ſoli impenſis ejuſmodi abundanter faciendis ſufficerent. Tantorum ſumptuum, occaſione tantæque pecuniæ affluentia factum eſt, ut aula regia tam infelici faſtigio conſcenſo luxuriæ & in juſtitiæ palæſtra evaſerit, in qua boni mores corrupti, multi magnæ expectationis ſucculi ex nobilibus & inſignibus familiis oriundi à virtutum ſemita ad vitiorum viam abducti, ac Religio ipſa virtuteſque omnes tandem ſublatæ fuerunt, ac penitus evaneſcentes communi proverbio locum fecerunt; Exeat aula qui vult eſſe pius.

Inſtatu libero, ac nullius regis fæno parente mole-

moleſtiſſimarum ejusmodi difficultatum & anguſtiarum copia præcaveri poteſt; Hujus Regionis commoditates atque utilitates terra marique copioſas tum demum homines intelligent, cum mercaturæ & negotiationis peſtes ejusmodi monopolia nimirum, atque alia ejus generis impedimenta commerciorum curſum remorantia remota, ac mercaturæ exercitium liberum, nullisque difficultatibus impeditum ſtabilitum, & pauperibus tandem de rebus neceſſariis proſpectum fuerit, prout Respublica illud commodum judicaverit, cujus rei conſequendæ & efficiendæ occaſiones nullæ ſe obtulerunt, quamdiu Regiminis præteriti forma in vigore fuit.

Omnes prædictæ, ut & aliæ magni ponderis cauſæ & occaſiones ſubditorum corpus repræſentantem conventum in Parlamento hactenus congregatum impulerunt, atque moverunt, ut maximè neceſſarium judicaret hujus Nationis gubernationem mutare, atque à Regiâ & Monarchicâ regendi formâ, quæ perniciofis & damnoſis conſiliis, & machinationibus abundavit, ad Rempublicam liberam transferre, ut inpoſterum tyrannico Regum jugo vacui ſubditi libero & naturæ convenienti jure frui queant.

Ut autem rectè & ordine omnia fierent, ac Respublica hæc firma mentis certioribus ſtabiretur, ac conſervaretur, maximum incommodum & impedimentum eſſe reperta eſt Domus Dominorum ſive Parium in anum corpus congregato-

gregatorum atque ſcriptura convocatorum, ut in rebus juri ac juſtitiæ ſubjectis aliiſque magni momenti negotiis judicent, atque ſententiam ferant; Ideòque decretum eſt, ut non amplius exerceant negativum votum in populum, cujus corpus minimè repræſentant; ut nullam inpoſterum judicialem poteſtatem habeant in omnes perſonas, & facultates ſubditorum, quorum judices competentes non ſunt, quandoquidem poteſtas & magnificentia ipſorum potiſſimum in Regis potentia & authoritate ſità eſt, àd quam ſe admodum proclives eſſe nuperis ſuis actionibus manifeſtè prodiderunt.

Ac quoniam manifeſtum, atque perſpicuum eſt, quod, præcipuè his temporibus, quibus omnia in maximis anguſtiis & difficultatibus verſantur, hujus Reipublicæ adminiſtratio, ac ſecuritatis publicæ certitudo firmitas Domus Parium negationes & dilationes ferre non poſſit, illud penitus removere & abrogare neceſſarium viſum fuit.

Ea tamen facultate Dominis Paribus, qui hactenus Regioni huic fidelitatem debitam præſtiterunt, & adhuc ita præſtabunt, ut ſalute publicâ nil prius antiquiuſque habituri ſint, permiſsâ, iiſque privilegiis conſeſſis, ut æquè ac alii publicam juſtitiam, communemque omnium ſalutem incolumitatemque complectentes eligantur, & electi membra fiant corporis, aut Senatus magni univerſum populum repræſentantis, quemadmodum ante hac factum eſt, cum utraque Domus Parium, &

communium in Parlamento congregatæ ſederent.

Una objectio ſæpè ac multoties iterata, ſe infert, concernens utriusque domus decretum Anni quadrageſimi ſexti ſuprà milleſimum ſexcenteſimum Menſe Aprili decretum ac firmiter concluſum, quod Regnum in poſterum, à Rege Dominis Paribus, & Communitate adminiſtrandum eſſet: cui alterum de Rege ad ſummam magnificentiam & felicitatem extollendo, feliciſſimoque Principe efficiendo acceſſit.

Tunc temporis quidem præfata omnia firmo edicto concluſa ſunt, eo quod certa fiducia conſiliarii ſenatus magni, aſſeſſoresque Parlamenti omnes firmiſſimam ſpem conceperant, Regem malis ſuis conſiliariis liberatum tandem ad ſaniorem ſenſum reverſurum, & Parlamentum voti ſui compos facturum eſſe, cui rei exequendæ Domini Pares, qui Parlamento adhuc adhærebant, magno adjumento eſſe potuiſſent. Sed poſtquam compertum atque exploratum habebatur, ipſum poſt, ſeptem compellationes omni fructu & effecto carentes tàm in vita quàm in morte in opinione ſua contumaci, quâ tyrannidi conſervandæ & ſtabiliendæ ſummam operam navabat, ſtabilem ac firmum permanere, ac ea, quæ Parlamentum Boni Publici cauſa decreverat, tanquam inutilia & injuſta rejicere, & non niſi Tyrannide crudeli Regionêm hanc divexandi, & ſubjugandi ſtudio pertinace flagrare; Domini Pares jam eidem obligati

obligati ac devincti erant quoad proprium ſuum commodum, ac munus, cujus vigore Pares exiſtentes ſibi adſcribebant exemptionis poteſtatem juſtitiæ orbitam deſerentem, ac debita, bono juſtoque nomine conflata ſolvere, vel coram judicio pro iis reſpondere negantem, cui judicium in Populum nil niſi ejusdem ſervitutem & oppreſſionem promovens ac cedebat. Idcirco Communitatis Domus aſſeſſores, ſpe & expectatione omni, uti modo dictum eſt, ſe fruſtratos eſſe videntes decreta & ſtatuta ſua revocare, & mutare neceſſitatis lege inevitabili coacti ſunt; quam mutationem Bono Publico ac in columitati totius regionis in ſervientem nemo In Anglia habitantium incolarum in malam partem interpretari, aut felicitati & ſaluti ſuæ adverſantem, affirmare poterit.

Ac quamvis ejusmodi decreta & ſtatuta tunc temporis à communi conſilio edita & approbata fuerint, nihil tamen ex iis commodi neque Rex neque Pares percipere; multo minus ea tanquam pro ſe facientia allegare poterant, quoniam nunquam iis aſſenſum ſuum præbuerunt, neque illa rata habere voluerunt. Nam ubi contractus nullus factus, nec pactio ulla tranſacta eſt, ibi pactis non ſtetiſſe eademque fregiſſe nemo dici poteſt. Nullus autem contractus fit niſi utriuſque partis ſtipulatione accedente, cum communis regula hic locum habeant, do ut des, facio ut facias. Id circò cum in hoc caſu nul-

lus unquam consensus, nulla item approbatio intercesserit, ac res tota in medio relicta, imò planè rejecta & reprobata sit, Communitatis Domus profectò nulla ratione Declarationum & decretorum istorum conservationi devincta erat, quibus efficiendis ratione pactionis & acceptionis alterius partis nullo pacto astringebatur, sed potius mutationis, ud quam tot rationibus & tot causis Populi libertatem & conservationem summâ necessitate urgentibus impellebatur.

Superiorem objectionem altera excipit, hanc nimirum tanti momenti & tanti ponderis rem in pleno utriusque Domus consessu determinandam & concludendam fuisse, non verò tot membris, & assessoribus absentibus, & quidem etiam vi exclusis atque exturbatis contrà Privilegia, quæ hoc in casu violata & pedibus conculcata esse dicuntur. Eos verò, qui jam in Parlamento Regionis administrationem arripuêre, vi & violentia cuncta agere, & pro lubitu rebus præesse.

Ad objectionem responsionem hanc regerimus, Omnium Parlamentorum munus esse libera & non coacta voluntate conscientiæ rationemh abere: Sed plærisque hactenus celebratis aliqua ratione vis imperavit; Maxima pars violenta Tyrannide coacta, metuque grandi impulsa, ne actionibus suis non placentibus magno infortunio mulcaretur, cogentium voluntati decreta sua aptavit; Nonnulla factionum aut titulorum peculiarium coronam spectantium

ctantium violentiâ superabantur. Nihilominus jura & statuta ab ejusmodi Parlamentis instituta, & probata in vigore fuerunt, atque sequentium sæculorum commodo stabilia permanserunt. Quæ omnia eaque cuncta, quæcunque nullis exceptis hactenus à Parlamento hoc constituta sunt ab eo tempore, quo nonnulla ab eo membra defecerunt, & Rex defunctus omnes suas vires in id convertit, & plurimæ confusiones, injuriæ & contumeliæ locum habuerunt, (si objectio hæc valeret) penitus vana sunt.

Quod verò ad nonnullorum Parlamenti privilegiorum violationem, & abrogationem attinet, reliquæ profectò parti, quæ muneris sibi demandati stationem non deserhit, nullo pacto adimi poterit sive potestas præveniendi & emendandi omnia ea, quæ Bono Publico adversantur, sive libertas utendi jure sibi convenientię, & votis liberis omnia necessaria statuendi, cum proculdubio ex Parlamenti jure numerus ipsorum ad conventum & congregationem Domus alicujus Parlamentaris absolvendam & perficiendam requisitus, & ad cujus cunque negotii gubernationem concernentis expeditionem, confectionem, & transactionem debitâ authoritate armatus non modò plenus sit, verum etiam abundet. Ji qui violenter jam agere ac vi injusta cæteros Parlamento adversantes tractare dicuntur, nonnullorum ex ipsis optimi sunt amici à Parlamento vocati, adsciti, & electi eum in finem, ut ipsos tuean-

tur, & unicuque præſidio ſint contra hoſtes ſuos, qui hoc medio, & hac via ſpe, quam de Parlamento abrogando conceperant, fruſtrati ſunt, atque impediti, quominus voti de tyrannide Introducenda conſepti compotes facti fuerint. Actiones has in peſſimam partem raptas calumniantur, & violentas eſſe dicunt, cum tamen revera nihil aliud ſint, niſi defenſiones & præſidia exercitus ipſorum, ab illis ipſis eum in finem deſtinata & electa. Ac ſi in deliberationem cadat, an Parlamenti privilegia, an vero Regni ſalus præponderare debeat, facilis conjectura ſumi poterit, in utram partem ſtateræ lingula propenſura ſit. Certè Parlamenti non eſt malle præterire aut intermittere abrogationem privilegiorum (ut antehac vel ob minores etiam cauſas & occaſiones ſæpe non præter miſit) quàm pertinaci & contumaci eorundem obſervatione muneris ſibi demandati memoriam deponere, & omnia reſignare, & concedere, ex quibus huic Nationi præſentiſſima ruina & confuſio oriri poſſit.

Tandem ultima ſe offert objectio gravis, & ponderoſa admodum, quæ plena & ſufficiente reſponſione ex pediri vult; An videlicet Curiæ indiciorum, & bona atque antiqua Angliæ jura, & conſuetudines noſtrarum libertatum vera præſidia (quornm beneficia majores noſtri longo tempore ante conquæſtionem occupaverunt, & in uſu habuerunt, eorumque per magnum Charter libertatis,

tatis, aliasque leges excellentes justas, liberas, & nullis aliis totius mundi legibus bonis cedentes, hactenusque in quibusvis Regni motibus & mutationibus non solum continuatas, sed etiam effectui datas coufirmandorum causâ multum sanguinis profuderunt) præsenti hac Gubernationis hujus mutatione, abrogari, ac planè deleri, debeant, ac iisdem nos & omnes nostros posteros privari oporteat.

Huic objectioni responsione justa, & sufficiente Parlamenti Senatores Declaratione nuper admodum publicata, ac Reali Demonstratione ad objectationem hanc attinente, & ex singulati solicitudine Parlamenti opposita se abundè satis fecisse putant, dum polliciti sunt, se operam darturos, ut Judiciorum Westmonasteriensium æum Curiis ultimo termino, ac omnibus circuitibus in tota hac Regione doctis ac idoneis judicibus prospiciatur; quò nota jura, & consuetudines hujus Regionis cum earundem administratione continuatas esse, ac in consueto suo vigore manere appareat.

In nullam rem majorem curam intendunt, quâm ut rationem accuratissimam habeant, ac curam maximè solicitam gerant dignitatis & æqualitatis jurium & consuetudinum Angliæ æquissima semper executione effectui datarum; Antiquitatis earundem jam antè Normannicam servitutem quæ summâ vi nos oppressit, in vigore

conſtitutarum; Libertatis, proprietatis, & pacis ſubditorum, jam gratia Divina conſervatarum, quarum conſervatio jam tàm feliciter obtigit, & tanquam incrementum, & benedictio à Deo adeò proſperè nobis acceſſit, ut nihil felicius contingere, aut accedere potuerit; Manifeſtæ jucunditatis ex earundem conſervatione orientis; Ac tandem Gubernationis hujus præſentis mutatione admodum commoda in Rempublicam redigendæ, adeò ut forma tantum externa mutetur, ſubſtantia verò regiminis ipſa retineatur, remoto tantum regio nomine hactenus uſitato, ac perſonali unius adminiſtratione & dijudicatione vel in minimis etiam litibus adhibenda.

Authoritatem, qua utuntur, Populi jure ac legibus ſibi conceſſam & datam eſſe norunt. Præter privatas ſuas rationes, quæ inconſultæ & temerariæ non ſunt, conſilia & actiones eorum nil niſi ſalutem communem ac Bonum Publicum reſpiciunt, quorum conſervationem & cuſtodiam ſine juribus & Gubernatione hujus nationis conſiſtere non poſſe probè norunt. Imò iis ſublatis omnis induſtria & diligentia ceſſet, & omnis miſeria, ſanguinis profuſio, rerumque omnium confuſio ſequatur neceſſe eſt: Imo miſeriæ, & ærumnæ longè majores, quàm quæ ex defuncti Regis adminiſtratione rerum malâ & perversâ ortum trahentes nos oppreſſerunt; quæ profectò tantis calamitatibus omnes incolas involverent, ut ſub earundem onere tandem peſſum ituri eſſent.

Omnia

Omnia hæc argumenta satis fortia & ponderosa sunt, quæ cunctis hominibus non modò satisfaciunt, sed ipsis etiam suadeant, ut vitam & fortunas suas non dubitent submittere justis his, & longo usu comprobatis regulis, & axiomatibus juris, quod Parlamento probè notum meritò probatur, tantum abest, ut illud abrogare aut delere velit, aut de eo delendo apud aliquem in suspicionem venire debeat.*

Illum potius scopum unicum Parlamenti Senatores sibi proposuerunt, ut hujus Nationis legibus, & Regimini patrocinio requisito succurrant, eorundem defensionem suscipant beneficio hujus mutationis, aliarumque plurium, quas judicabit & reperi & aptas & idoneas fore ad regimen restaurandum, & redintegrandum ac ad removendas omnes corruptelas, dilationes, vexationes, abusus, labores ac sumptus non necessarios, omniaque ea, quæ Populum damno ac tædio afficere possunt.

Omnium Parlamenti consiliorum & moliminum summa meta est mutatio præsentis ergiminis, ut ex tyrannide in Rempublicam convertatur, quod non solum verbis & oratione manifestum facit, verum etiam re ipsa & omnibus actionibus ad id requisitis præstandum suscepit.

Nempè ut novi Belli conflatio penitus impediatur, & præcaveatur, sanguis Angliæ thesaurus profusione nulla amplius exhauriatur, firma & certa fides in belli locum reponatur, omnia odia clandestina ex ultimis his turbis

orta sopiantur, ac oblivione deleantur, verus Dei cultus doctrinæ in sacris literis respondens promoveatur, Protestantium vera Religio amplificetur, certis, & liberalibus alimentis pii concionatores alantur, omnibus hominibus; cujuscunque status aut conditionis fuerint, libertas animorum ad Dei gloriam & ipsorum proprium solatium procuretur, crudeles homicidæ in Hibernia summo rigore puniantur, ac honesti Protestantes pristino suo statui restituantur, ibidemque Res publica hæc plenissima satisfactione observantiæ huic operi debitæ jurisdictionem suam recuperet. Ut foedera, & societates cum extraneis Principibus, & Rebuspublicis initæ confirmentur,& observentur,omnes merces in hac regione confectæ magno lucro vendantur, negotiorum & commerciorum exercitio insigne augmentum accedat,& omnibus pauperibus per totam Regionem dispersis de necessariis alimentis prospiciatur.

Ut summa cura adhibeatur redintegrationi, & administrationi juris & justitiæ publicæ, ac maleficia debitis suppliciis coerceantur, bonis autem præmia sua destribuantur.

Ut reditus regionis in rectum ordinem redigantur, onera publica minuantur, militibus salaria, & stipendia rectè solvantur, liberis hospitiis utendi facultas penitus tollatur, Populus oneribus, & vectigalibus nimiis levetur, & æs alienum toti statui incumbens atque hactenus conflatum dissolvatur.

Ut omnes

Ut omnes moleſtiæ & difficultates, quibus populus hactenus divexatus, atque cruciatus eſt, removeantur, atque in earum locum pax & juſtitia per totam Regionem reducatur.

Cum itaque ad ea cuncta, quæ hactenus dicta ſunt, animum ſuum ſummâ contentione intendant, nullum ipſis de bono ſucceſſu dubium eſt. Deum omnipotentem ea de cauſa humilima animi ſubmiſſione orant, ut auxilio ac benedictione ſua ipſis adeſſe, ac debilitati ſuccurrere velit. Ac quoniam nec alienis & peregrinis ſtatibus & Rebuspublicis inviderunt, nec eorum Regimini aut negotiis regimen aliquod concernentibus ſe immiſcuerunt, nec etiam immiſcere volent, neque etiam vicinos ſuos ulla injuria læſerunt, imò nunquam etiam lædere cupiunt, ſed è contrario omnis amicitiæ & ſocietatis mutuæ conſervationem ſtudiosè quærere in animum induxerunt, ſi modo ipſis placet, adeò ut firmiter ſibi propoſuerint intra negotiorum ſe attingentium limites ſe continere, ac tantum tractare opus & negotia hujus Reipublicæ, ad quam curandam deſtinati & electi ſunt cummuni totius Populi conſenſu, cujus corpus communi electione inſtituti repræſentant:

Eandem etiam, & æqualem, ac juri omni convenientem ab Extraneis tractationem expectant, firmiterque confidunt, eos, quorum quicquid egerunt, & agunt minimè rerefert, ſe in Anglorum, qui extraneorum

actiones

actiones non inſpiciunt, neque curant, negotia non intruſuros eſſe. Sin verò contrarium eveniat, & ipſis aliqua injuria oriatur ab iis, ad quos tanquam extraneos hæc non attinent, neutiquam de viribus ſuis dubitantes eâ ſpe nituntur, ſe animoſitate & potentia gentis Anglicæ, atque Divina benedictione Domini, (à quo hactenus tàm miraculosè cuſtoditi ſunt, adeò ut nullo pacto ambigant, quin cauſæ ſuæ juſtitiam inpoſterum etiam tutaturus ſit) accedente ſatis aptos & commodos fore, ut & ſe defendant, & jus ſuum tueantur.

Ab omnibus autem veris Angliæ incolis expectant, & poſtulant, ut abſtineant ab omnibus tam publicis quam clandeſtinis conjurationibus, & oppoſitionibus huic præſenti rerum omnium redintegrationi, & reſtaurationi tanquam remoris objiciendis, quæ nova belli incendia excitare, & novis miſeriis pro parte etiam ipſis exantlandis incolas implicare poſſunt.

Et potius libera virium conjunctione, auxiliiſque ſuis in magno hoc opere, quod præmanibus eſt, conficiendo & perficiendo opem ferant, ut eo pacto gloria Domini manifeſtetur, Proteſtantium religio vera augeatur, atque hæc Natio pacis, libertatis & juſtitiæ benedictionem pro ſe ac Poſteris ſuis poſſidere queat.

DECLA-

DECLARATIO,

Et manifeſtatio Fundamentalis Domus communitatis in Parlamento cauſas & occaſiones indicans quarum impulſu tractatione pacis in inſula Vecti abrupta capitales ſontes juſtitiæ judicandos ſubjecerit.

Parlamenti mandato publici juris facta.

NUlla res eſt, quâ melius de Rege aliquo quodvis Parlamentum mereri poſſit, quam ſi ipſi de ſtatu regiminis confuſo, & æquitatis limites egrediente indicium faciat, atque in id ſummâ contentione incumbat, ut erroribus ſapienti conſilio corrigendis remedia quærantur. Nam quemadmodum omnes morbi aut curatione felici abeunt, aut non curati morte terminantur; Ità etiam omnes confuſiones, & legum ac conſuetudinum bonarum transgreſſiones, quæ inſtar morborum etiam optimè conſtitutos ſtatus invadere ſolent, aut Reipublicæ & regiminis alicujus interitu, aut ejuſdem redintegratione plena tolluntur.

Atquam

Adquam rem cum seriâ attentione hactenus homines animos suos adverterint, atque etiam re ipsa necessarium judicatum fuerit hujus regionis populum & incolas oneribus adeò multiplicibus gravatos, ut plurimæ familiæ pessumiverint, & toti Regno vastitas, depopulatio, & interitus impenderit, tandem liberandos, & exitium instans præcavendum esse, Angliæ Communitas in hoc præsenti Parlamento congregata jam abhinc octo annis summa fidelitate, & cupiditate omnes suum laborem, omnem operam, & omne studium in eo collocavit, ut Salutem communem Bonumque provirili sua promoveret, atque ex periculo imminenti eriperet; quo conatu multas anxietates & pericula subiit, multas difficultates & angustias toleravit, ac oppressit plurimas molestias & confusiones, dissolutasque, actiones maligno animo se legibus hujus Regni opponentis Partis, & Factionis, quæ maximi molimine nitebatur hujus Regni incolas tam corporibus quàm animis in servitutem præcipitare, Pontificiam religionem huic Regno obtrudere, atque Tyrannidem introducere, quæ duæ res in præteritis nostris manifestationibus & declarationibus adeò manifestè ob oculos positæ, atque, adeò prolixè demonstratæ sunt, ut earum recensionem hoc in loco supervacaneam censeamus: Ne tamen veritati quicquam detrahatur, silentio neutiquam involvere possumus instar & multiplices querelas, quibus apud Regem de malefactis istis sæpius conquesti

questi sumus postulantes, ut & erroribus tantis remedia necessaria adhiberentur, & iisdem obnoxii meritis poenis afficerentur. Factum hoc est ab initio libellorum supplicum opera, quibus plures demonstrationes, & manifestationes successerunt. Justitiâ verò subinde nobis denegatâ effectu sperato caruerunt, ac impedimenta potissima ex Regis proprio conatu tanquam ex vero fonte scaturiebant, quæ variis & multiplicibus modis se produnt, si modo ad ea attendatur, quæ variis & illicitis conatibus contrà Regni sui Publicam salutem & incolumitatem molitus est. Primo enim Exercitui Anglico, qui contrà Scotos comparatus erat, in mandatis dedit, ut Scotis omissis ipsum Parlamentum, atque urbem Londinum adoriretur; imò ad idem faciendum Exercitum Scoticum quatuor Borialium provinciarum donatione, atque urbis Londini deprædatione solicitavit. Deinde subito & inopinato itinère se in Scotiam contulit, quanquam seriis admonitionibus & dissuasionibus ipsum à proposito suo abducere conaremur. Postea si non direxit, ac mandavit, attamen ad minimum occasio fuit horrendæ illius rebellionis in Hibernia, quâ durante in sola provincia Ulster (quę alibi in isto regno gesta sunt, silentio præterimus) octo tantummodo septimanarum spatio centum & quadraginta hominum Protestanti religioni addictorum millia trucidati sunt cædibus adeò horrendis & crudelibus, ut omnes decem primæ Christianorum persequutiones cum

cum hac breviſſima ſed cruentiſſima & ſanguinolentiſſima comparari non querant. Tandem à Parlamento ſecedens ſe à Populo ſuo ſegregavit, & vexillum ſuum contrà ſuos publicè erexit,quod tamen nunquam anteà ab ullo Regum noſtrorum quantùm vis perverſiſſimo factum eſt. Tanto facinore Regia poteſtas ad populi ſalutem & tutelam inſtituta Parlamento, atque incolis objecta, Hiberniæ regnum à Majoribus noſtris partum præſentiſſimo periculo & jacturæ expoſitum, negotiatio noſtra terrâ marique turbata, opes & facultates noſtræ diſſipatæ, ac multa Nationis noſtræ millia horribili laniena è medio ſublata ſunt.

Nos ea de cauſa omnem ullius operis aliquam juſtitiam ſapientis à Rege conſequendi ſpem abjicientes, ac de ipſius emendatione penitus deſperantes ad Deum coeli ac terræ creatorem provocavimus, ac ipſius auxilium invocavimus, qui poſt quadrienne bellum ſententia manifeſta cauſæ noſtræ æquitatem comprobavit dum omnia caſtella, civitates ac adverſarios noſtros imò Regem ipſum in manus noſtras tradidit, & cæteros, qui elapſi ſunt, miſeræ vitæ ſpacium in exilio decurrere coegat.

Ac quamvis Deo placuerit nos per ſuam gratiam ejusmodi poteſtate armare, cujus opera ſi Anglicam gentem totius mundi fortunatiſſimam non efficeremus, non hoc ſolum, ſed & omnia futura ſæcula judicare, & concludere poſſent, aut ingenium nobis, aut voluntatem illud efficiendi defuiſſe; nihilominus tamen

men novis anguſtiis & difficultatibus circumvallabamur, deficientibus à nobis quibuſdam ex collegis & membris noſtris, quorum nec Dei gloriam nec publicam ſalutem æſtimantiū, ſed turpi cupiditate & ambitione ſeductorum contentio & induſtria omnis in id unum incumbebat, ut rex ſine ulla pœnitentia ante acta, aut errorum commiſſorum agnitione, & emendatione in regnum redaceretur, ſive illud Deum offendat, ſive populo adverſetur. Eum in finem multiplici ſua aſtutia ſe ipſos ità firmarunt, & ſtabiliverunt, ut numero haud contemnendo aucti tandem verſipellibus ſuis conſiliis & conatibus ea conficere moliti ſint, quæ peſſimi noſtri, atque capitales inimici nunquam apertâ armorum vi effectui dediſſent.

Animadvertentes tamen, à nemine conatuum ſuorum curſum in hiberi potuiſſe, quàm ab exercitu, in quo plus quam lucri & pecuniæ cupidum ſpiritum ſitum eſſe comperiebant, quandoquidem inſigni gratia & benedictione divina bellum tantum tàm brevi temporis ſpacio confecerat, & menſibus adeò paucis tot ac tanta pro Parlamento efficiens, perinde ac ſi iiſdem effectis officio ſuo ſe abdicare vellet, reipſa demonſtraverat, privatum ſuum commodum ſe Publicæ utilitati longè poſtponere:

Conati ſunt maximam exercitus Anglici partem & quidem eo tempore, cum Scotorum exercitus adhuc quatuor Boreales Angliæ provincias cum Rege ipſo, & duabus hujus regni clavibus Barwyck, & Carlil ipſaque urbe Neuca-

ſtel loco potiſſimo , & præcipuo , ex quo Londinum atque in meridionales Angliæ provincias carbones advehi ſolent teneret in Hiberniam ablegare. Quæ actiones omnes nihil aliud innuebant, aut portendebant, quam ut deſerto ſanguine noſtro proprio, & deſerta patria noſtra, quæ piè & fideliter nobis in ſerviverat, in ſervitutem nos præcipitaremus, & extraneæ Nationis tutelæ nos committeremus.

Hujus conatus primi eventu ſperato fruſtrati poſt Scotorum in patriam ſuam reditum dimiſſione exercitum diſſipare, & diſſolvere ſtuduerunt, quoniam eundem corpus ſuum integrum conſervantem machinationibus ſuis obſtare videbant.

Eadem ſpe quoque excidentes Londinum civitatẽ contra exercitum incitare inceperunt, quæ ipſorum fabrica & machinatio periculoſa quoque impedita eſt. Idcirco quidam eorum à nobis maximi criminis accuſati fuga ſibi conſuluerunt , atque mare transmiſerunt, reliqui inter nos hic manentes cuſtodiæ traditi ſunt. Rex pertinaciâ ſuâ antiquum obtinens , nec ullius Poenitentiæ argumenta prodens etiamſi ſeptem vicibus diverſis à nobis compellatus fuerit, omnem ad frugem redeundi ſpem nobis ademit, adeò ut de accommodatione ipſius planè deſperaremus.

Quam ob cauſam nobis iniquiſſimum eſſe judicantibus, ut unius perſonæ inconſiderata pertinacia, & contumacia, quantacunque etiam fuerit, tot hominum honeſtorum millia in hoc Regno

Regno pereant, consultum atque necessarium visum fuit nulla inposterum compellatione solicitandum esse ipsum tanquam hominem nullius fidei amplius capacem,& cui nec quicquam amplius tuto committi possit; Regimine autem ad pacem consequendam, & salutem Regni promovendam stabiliendo & firmando pergendum esse.

Et hoc quidem jam pridem effectui dedissemus, unoque impetu perfecissemus, nisi nonnulli ex nautica turba malevoli homines, & alii ex provinciis Essex, Surrey, Sussex,& ipsa urbe Londino (quorum plures deinde armis nos oppugnaverunt) turbulentis suis petitionibus & libellis supplicibus, quibus tractationem cum Rege Londini ineundam,ac militiam dimittendam vehementer urgebant, nos à proposito nostro utilissimo dejecissent, & seriæ nostræ contentioni impedimento fuissent.

Seditiosæ hæ petitiones, & libelli dicti supplices de ejusmodi materia, quam sibi nullo pacto denegari patiebantur, Parlamento oblati admittebantur à cæteris inter nos communi causæ non faventibus, (à quibus forsan illi subornati fuerunt) petitoribus etiam ea de causa gratiis actis, quanquam quæ petebant, eo pacto æquitati adversabantur, ut, si petitioni, & postulato ipsorum satisfactum fuisset, una hora omnis benedictio Divina, quam Deus Parlamento concessit, amissa fuisset, & omnia ejus beneficia nobis collata sine fructu abiissent, inprimis cum Regni negotia passim infinitis diffi-

cultatibus eo tempore immersa summo in periculo versarentur, Walliæ pars magna rebellis esset, Scotorum invasio quotidie metueretur, Kent & Essex provinciæ in armis essent, & classis maritimæ bona pars à nobis defecisset.

Et ut eò magis à pace huic Regioni infinitis angustiis implicatæ recuperanda abduceremur. præfati homines rationem habentes temporis, quo exercitum negotia bellica occupatissimum tenebant, & diversa Parlamenti membra incendii, quod ipsi proculdubio excitaverant, restinguendi causa aberant, tàm callidis consiliis, quàm apertis minis vota de non compellando amplius Rege abrogarunt, & membra antehac summi criminis contrà regnum commissi accusata revocarunt, vulgo persuadentes, nullo pacto fieri posse, ut sine Rege Regnum pacetur, & pristinæ tranquillitati restituatur.

Ac quanquam Deus mirabili restitutione provinciæ Walliæ, miraculosa & celeri victoria Kent provinciæ, clade commitis Hollandiæ, coactione malevolorum Londini; sedatione navium rebellione se opponentium, occupatione urbis glocestriæ, ac tandem in comparabili domatione exercitus Ducis Hamiltonii toti mundo testificatus est, quod à coelo consilia ipsorum mala oppugnentur, & Domino coeli displiceant, ac ab ipso ad huc semel contrà Regem pro Parlamento sententia pronuncietur:

Nihilominus tamen membra dicta quasi gigantes, & Titanes coelum oppugnanturi, en

in Dei

in Dei contumeliam Regis honorem propugnatur; ejusmodi propositiones ad Regem in insula Vecti miserunt firmæ & certæ pacis constituendæ causa, ut ipsi dicebant, quæ si per missæ & effectui datæ fuissent, (quanquam illud fieri potuisse neutiquam apparuit) eventûm tamen alium nullum, quam certissimam servitutem habuissent. Quandoquidem illarum vigore neque hoc, nequè ullum aliud Parlamentum capax fuisset, neque potentiam habuisset ullarum legum bonarum condendarum, nisi Regis expressa voluntas & votum accessisset, quæ tamen res hactenus tamdiu verbis, ac posteà tandem armis disputata fuit.

Quemadmodum vero Personalis hæc tractàtio eo pacto promota, & vi summa ad effectum properans adverse partis animos maximè obfirmabat, & summo gaudio afficiebat, ità è contrario bene volos homines, qui vitam & opes pro communi salute nobiscum periculo exposuerant, in summos angores & solicitudines conjecit, quoniam felicissimam pacem sanguinis & sudoris sui profusi mercedem expectabant, in cujus locum ex pacis ejusmodi procuratione initia futurarum miseriarum tanquam germina luxuriantia pullulassent.

Imò apertè dicere ausi sunt, quod post omnes has partas victorias in longè deteriori conditione & statu relinquerentur, quàm ille fuit, in quo constituti erant cum bellum hoc inciperetur.

Quæ ipsorum verba neutiquam in partem

malam interpretari possumus, quando in memoriam nobis revocamus, tractationem hanc iis conditionibus niti, quas Rex ipse propositurus fuerat: quam tamen rem non solum Utraque Parlamenti domus, verum etiam ex Scotiæ Regno Deputati firmæ & certæ paci admodum noxiam & perniciosam anteà judicaverunt, cum Rex adhuc plenam suam potentiam habebat.

Præterea nullo modo credere, aut persuadere nobis possumus transactionis capitibus in insula Vecti pactis cum regeratione status, in quo tunc temporis versabatur, ipsum aut suos unquam satisfacturos fuisse; Nam nudo Majestatis nomine omisso, ac præterita securitate & certitudine, quam hæc pacis tractati implecti videbatur, nunquam tamen Rex se ipsum tamen nec aliquis suorum alium quam re ipsa captivum æstimavit.

Quod propriis ipsius literis demonstrari potest: iis enim quas 2. Octobris ad utramque Parlamenti domum dedit, eam conditionem proponit, ut sibi Westmonasterium venire potestas daretur, & quidem plenæ & certæ ac firmæ libertati restituto; quod profecto manifestè probat, ipsum tunc temporis (tractatione nimirum durante) utroque se privatum esse, aperta confessione affirmasse. Idem loquuntur literæ ad præcipuæ notæ personam ex Magistratus Londinensis numero perscriptæ, in quibus se arctiore custo quam unquam anteà detineri questus est. Princeps filius in Declaratione sua

Goureæ

Goureæ in Selandia in lucem edita apertè fatetur, Regem adhuc captivum custodiri; Ideoque à Comite Warwicensе postulat, ut à Parlamento deficiens naves suis jungat, & in patre ex indigna captivitate liberando sibi opem & auxilium ferat.

Et quoniam, ut multis prudentibus hominibus placet, juramentum coactum neminem necessitatis vinculo ad satis faciendum iis, quæ jurejurando promisit, constringit, quidnam, quæso securitatis & certitudinis nobis esse poterat, ipsum, qui liber & regno ad huc præfectus tot promissis suis non stetit, in solium suum Regium repositum pristina libertate, & authoritate recuperata satisfacturum iis, quæ captivus & in angustiis constitutus tam seriò pollicitus fuerat.

Cum verò vixullum sive internum, sive extraneum ullius principis, qui semel bello cum subditis suis implicatus transactionis cum iisdem pactæ capitibus diutius, quam necessitatis lege inevitabili coactus fuit, stetisset, exemplum afferri possit, atque exempla multa contrarium docentia occurrant, ex quibus Regis Hispaniarum reconciliationem cum Neapolitanis factum sanguinolenta violatione infringentis exemplum recentissimum in recenti memoria versatur; nullo pacto certè nos ejusmodi propositioni à Rege in insula Vecti acceptæ & vel jure jurando confirmatæ confidere potuimus, quod Regem strictius & firmius promissis ad strictura esset, quam Leges Re-

gni cardinales, juramentum in coronatione præſtitum, ac tot proteſtationes; pollicitationes, & obligationes Regio nomine pronunciatæ & promiſſæ (quas toties violavit) antehac ipſum ad æquitatem & juſtitiam, debitamque muneris executionem adſtrinxere.

Si igitur Exercitum noſtrum dimiſiſſemus, nunquid veriſiimlius fieri poteſt quàm quod Rex alium comparaturus, & ad ornaturus fuiſſet? Sed illo hoc faciente, & nobis quieſcentibus, ac nihil tale conantibus quid aliud negligentia noſtra talis fuiſſet niſi proditoria muneris ac fidei noſtræ omiſſio, & voluntaria traditio qua ſine ulla oppoſitione ea, quæ tot victoriis ſanguinolentis comparavimus, & acquiſivimus, ex manibus noſtris elabi pateremur. Ac licet arma iterum in manus ſumpſiſſemus, nihil tamen aliud feciſſemus, quàm ut Regnum novis turbis turbatum majori periculo expoſuiſſemus, certi exitus loco, quem in manibus habemus, incertum eventum expectare maluerimus, perinde ac ſi Deus iterum, ut antea, conatus noſtros benedictione ſua promovere deberet, ſi talem ejus gratiam temerario ejusmodi neglectu contempſiſſemus. Imò maximæ nobis imprudentiæ duceretur, (ſi actio talis Dei provocatio, & irritatio non exiſtimaretur,) quando altera vice eventu priore poſthabito negotium hoc in diſcrimen conieciſſemus.

Quan-

Quanquam vero etiam Deo Regis cor eo pacto indurare placuit, ut Episcopos dimittere noluerit, sed ad tempus tantum, officii intermissione mulcare statuerit, assensu suo illud modo concedens, ut eorum agri & possessiones elocarentur, & ipsi Episcopi reditus annuos consuetos sustentationi suæ impenderent, cum tamē ctæ possessiones à nobis venditæ essent, ac multi homines nonnisi antiquos reditus emissent; nihilominus tamen hi transactores adeò cupidi erant Regi in hoc negotio voluntatem suam accommodare, ut contenti ea conditione fuerint, quâ emptorum, qui Parlamenti publica fide nitentes ea bona emeranit, nonnulli omnibus fraudati fuissent, alii eorum partem amisissent, ut de ipso episcopatu non dicamus, qui radice sua adhuc fixus mansisset suo tempore repulliclaturus, quem tamen radicitus extirpare pacti fuerant.

Cum etiam Rex capitalem poenam unius cujusdam malefici sibi propositam, nimirum. Davidis Lenkii (ceteri enim mari trajecto fugâ sibi consuluerant, & ex potestate nostra evaserant) consensu suo probare & ratam habere recusaret, Foederi inter nos pacto adversantes, ac à præcipuo hujus belli scopo (nempè ut malefici digna ac merita pœna afficerentur) declinantes voluntati Regis eo in casu etiam paruerunt.

Quod, ut apertè rem eloquamur, nihil aliud erat, quam populi causam deserere, & Regiam stabilire, nostram propriam proditione nefaria

 pessun-

pessumdare, &, Regiam justam & æquam pronunciare, atque unica hac actione, unico que, facto hostium nobis infensissimorum exprobrationem continuam, qua nobis illud exprobabant, quod causa nostra, qui neminem ipsorum judicio subjicere auderemus, iniqua & injusta esset, comprobare, & veram reddere.

Cunctæ actiones ipsorum tales è diametro repugnabant omnibus iis, quæ Parlamentum mox in principio turbarum ex ortarum Populo proposuerat, & à quibus ad hoc bellum suscipiendum impulsum fuerat. His enim mediis Episcopatus radicem contexerant, donec calore redeunte iterum germinare posset, nulla interim habita ratione religionis, ut requisito fulcro stabiliretur. Omissione supplicii capitalis maleficorum cuivis irrogandi omnium bonorum animi consternabantur, atque in hoc negotio labascere incipiebant: Imò pœnitentia ducebantur, quod unquam ad hanc rem suscipiendam & ingrediendam se contulissent, quæ tam fœdè peracto erat, perinde ac si Regis asseclæ vel centies profligati etiam centies erigendi, & liberandi essent; Atque è contrario, si Parlamenti fautores semel tantum cecidissent, una cum ipsis omnia concidere, omnes pii homines in tota regione ex tirpari, ac Religio & libertas inperpetuum discrimen adduci deberent.

Quanquam igitur Deus tàm præsenti, & tàm mirabili auxilio huic causæ præstò fuit, ut hostes neque aperta armorum vi, neque, clandesti-

destinis machinationibus ullis eam superare, & evertere potuerit, nonnullorum, tamen quibus ea commissa erat, perfidia proditoria non solum planè concidere potuisset, sed etiam posteri semper animo alieno fuissent ab armis ad Parlamenti defensionem capiendis, jis autem, qui Regem propugnantes victoriam obtinuissent ad omnes honores, commoda, omnemque humanam felicitatem, tanquam laborum suorum mercedes aditus patuisset; Atsi victi fuissent, nullum interris tribunal nullum judicium fuisset, quod ab ipsis facinorum suorum rationem postulasset, aut meritâ ipsos pœna affecisset.

Quocircà nisi causæ nostræ justitiam tot victoriis benefica benedictione nobis concessis à Deo comprobatam inficiari voluissemus. Nisi amicos nostros, qui summo omnium suarum facultatum imo etiam vitæ ipsius periculo nobis auxilio fuerunt, prodere voluissemus; Nisi unum hunc virum Regem nimirum tot hominum myriadibus, quorum corpus nos repræsentamus, chariorem & preciosiorẽ æstimare, ejusque honorem, libertatem, atque securitatem totius nationis honori, libertati securitati præferre voluissemus; Nisi pacem à Deo cœli & terræ Domino, ad quem unum in omnibus nostris angustiis confugimus, nobis benignẽ collatam & donatã spernere, & ejusmodi paci, quam Rex homo mortalis, & hostis noster implacabilis concessurus fuisset, confidere voluissemus; Nisi nos ipsos prædã offerre, & ut Parlamentũ, & Regni causa ab ipsius membris per cuniculos clande-

stinos

destinos suffoderetur, pati voluissemus; Nisi omnia quæ habemus, Regis Nihilo opponere, atque cum ipso qui nobis nihil dare poterat, tractare, ac, postquam Deus in omnium, imò plurium, quam nos ipsi postulassemus possessionem misit, cum Rege, an iis frui, aut non frui debeamus, agere voluissemus; Tandem nisi tot innocentium hominum, ac defessorum militam sanguinem paucorum noxiorum & reorum hominum, quicunque aut cujuscunque conditionis illi fuerint, sanguine minoris facere voluissemus; Oportuit nos profectò aliud nil facere, nisi illa vota revocare, quæ honori Divino è diametro adversabantur, actionibus Parlamenti magnam infamiæ maculam aspergebant, ac proculdubio totius Regni commune publicum pessundabant.

Nihilominus tamen in animum nostrum induximus, si Divina gratia nobis auxiliata fuerit, quam ocyssime Parlamenti authoritate Regni hujus pacem in longè feliciorem statum & conditionem transferre, quàm ab ullo aliquo Rege ullo tempore expectari possit.

Brevis enarratio executionis, qua tribunus militum Poyer XIV. Maii Anno CIↃ IↃC XLIX. Vita orbatus est.

PAulo post executionem Dominorum. Hamiltonis, & cæterorum duorum confestim instituta est criminalis actio in Langhorn Generalem Majorem, ac Powelet Poyer militum tribunos.

bunos. Hi à judicio militari judicandi erant, coràm quo licet aliquoties comparuerint, atque pro virili omnia, quæcunque purgatione ipsorum inservirent, in medium attulerint, sententia tandem tamen lata est, ut Tribunus Poyer 20 Aprilis, & duobus diebus post Langhorne Generalis Major, & Pouwel Tribunus sclopetorum ictibus confoderentur. Sed quoniam tot libelli supplices, ac tot intercessiones vitam ipsorum deprecando conservaturæ exhibebantur, executio dilata est, donec Fairfax Imperator summus Generali Exercitus Marescallo Capitaneo Lawrens mandatum sequens scriptum miserit.

Quandoquidem Generalis Major Langhorn, & Powel ac Poyer tribuni a judicio meo militari condemnati sunt, ut de militiæ more, legibus & consuetudine sclopetorum glandibus confecti vita priventur, sicut sententia de ipsis lata postulat, propter diversas tamen causas memoventes tibi mando, ut duabus schedulis inscribas, Vita tibi propter Deum donata est, *ac tertiam nudam relinquas, ut quisque unam alicundæ extrahat. Qui nudam nactus fuerit, ex sententiæ vigore necidandus erit. Cæteros iterum custodiæ tradendos cures, donec quid amplius faciendum sit, mandavero. Vt vero mandatum hoc meum effectui detur, Scroop, Hammond, & Barcksteed militum tribunis injungo, ut vel omnes tres, vel ipsorum duo præsentes adsint, quande schedulæ extrahentur. Datum sub propria mea manu, & sigillo* $\frac{21}{31}$ *Aprilis.*

Thomas Fairfax.

Hoc mandato accepto schedulæ tres paratæ, & trahendæ captivis exhibitæ sunt, qui cum

hoc

hoc facere & metuerent, & recusarent, puero alicui tradebantur, qui unicuique unam exhibebat. Alba mortis nuncia in Tribuni Poyer manus incidit, qui nihilominus secundo Maii libello supplice oblato veniam ac gratiam implorabat, & mortem deprecabatur omnium suorum meritorum recensione Parlamentum commotũ iri sperans quanquam spes vana fuit.

Cum enim quartus Maii mensis ad executionem destinatus præsto esset, matutino tempore consolationis accipiendæ gratia à diversis concionatoribus invisebatur. Hora prima pomeridiana a Mareschallo Generali in Whitehall deductus currum conscendit, atque duos concionatores M^r. Knight & M^r. Cradocke secum habens ad locum executionis transvectus est. Summam animi humilitatem ostendens & peccatorum pœnitentiam seriam agens mortem oppetiit, adeò ut ex obitu ejus insignis pietas eluxerit. Ex curru descendenti M^r. Knight Fidem & fiduciam in Deum unicam spei humanæ rupem in memoriam revocavit; Hanc unicam suam consolationem esse affirmavit, ac multas lachrymas profundens pios admodum sermones de spe sua in Deo unico hærente habuit. Postquam autem aliquantum temporis cum utroque, concionatore piè differendo contrivisset, proximè murum in genua sua procumbens, ac magna contritionis & pœnitentiæ signa edens pio & serio fervore precatus, ac tandem Mareschalli Generalis ministros cæterosque adstantes homines sequentibus verbis alloquutus est.

Quo-

Quovis momento ad mortem excipiendam paratum ac promptum esse omnibus hominibus maximum commodum affert; Hora enim mortis ignota est; ac nemo scire potest, quam subita morte opprimi queat; quod mihi jam usu venit. Nemo certus esse potest, si improviso mortis impetu obruatur, num temporis quid ad pœnitentiam agendam habiturus sit. Me temeraream & in considèratam in hoc mundo vitam degisse, & laxo sinu omnia tulisse confiteor. Deus animæ meæ miserescat, ac peccata mea mihi ignoscat. Cœlestia majore amore quàm terrestria complecti omnibus hominibus salutare est. Hæc inferiora admodum incerta esse meo propio exemplo comperi, atque meis mutationibus addidici. Quanquam aliquando in humili loco versatus sum, ad summum tamen fastigium evectus fui. Iam verò omnia reliquenda mihi esse video. Licet felix rerum mearum conditio mutatione mirabili in miseriam conversa sit, singularis tamen amor quo Parlamentum complector, mutationis est nescius. Ipsi semper fidelitatem præstiti, unico hoc facinore excepto, quod me in præsentem hanc calamitatem præcipitem egit. Sed confido, quod Deus animam meam gratia sua amplexurus sit.

Tandem thorace deposito, ac precibus brevioribus, quas erectus ad Deum mittebat, manibus sublatis exclamavit, Veni Domine Jesu; Domine animam meam accipe. Mox autem glandibus tactus mortuus concidit.

Ex scloperariis prodeuntibus tres in corpus ipsius glandes plumbeos vibrarunt, qui si aberrassent, aut tam fortiter ipsum non tetigissent, ut concidisset, alii tres ad jaculandum parati erant.

erant. Corpus mortuum ſtatim in S. Jameſſes in Tuthillſtraet (plateæ nomen eſt) delatum, ac per veſtigatum vulnus in ſiniſtra pectoris parte monſtrabat, quod glandes duas recepit à duobus trium iſtorum ſclopetariorum emiſſas, quæ conjunctim, ac ferè quaſi una cor tetigerunt.

An captiva Parlamenti membra clementiorem tractationem expectatura ſint, propediem intelligetur, quandoquidem cito judicio ipſa expeditum iri fertur. Faxit Deus ut tandem ſanguinis profuſio tanta finem inveniat, & ejulationum, fletuum, & exclamationum ex ore miſerorum & afflictorum prodeuntium loco turturis vox cum omnium pœnitentium & de peccatis ſuis conquerentium querelis in cœlum aſcendentibus per totam hanc regionem audiatur.

F I N I S.



Benevole Lector.

Error nescio quo casu commissus ordinem libelli nostri in actionibus Regiam Majestatem concernentibus turbavit, adeò ut ὕστερον πρότερον positę confusionem pepererint. Quo igitur serie invicem sequantur, Lector pag. 128. in veniet: Quo vero ordine omnes legendæ sint paucis accipe.

Catalogus Judicum magnæ curiæ justitiam administrantis ordinatorum ad examen Regis.

Thomas Fairfax Generalis.
Olivier Cromwel Legatus Generalis.
Ireton Commissarius Gener.
Major Generalis Skippon.
Hardresse Waller, Eques.
Valentine Walton, Trib. Mil.
Thomas Harrison, Trib. Mil.
Edward Whalley, Trib. Mil.
Thomas Pride, Trib. Milit.
Isaac Ewar, Trib. Militum.
Richard Ingelsby, Trib Mil.
Henry Mildmay, Eques.
Thomas Honyvvood, Eques.
Thomas Gray, Baro.
Philip. Lisle, Baro.
Willem Monson, Baro.
Ian Danvers, Eques.
Thomas Maleverer, Eques.
Ian Bovvcher, Eques.
Iacobns Harrington, Eques.
Willem Brereton, Eques.
Robbert Wallop, Trib. Milit.
Willē Henningham, Armiger
Isaac Pennington, Consiliar.
Thomas Atkins, Consiliarius
Rouland Wilson, Armiger.
Pieter Wentvvorth, Eques.
Hendrick Martin, Trib. Milit.
Willem Purfoy, Trib. Milit.
Godefride Bosvel, Trib. Mil.
Ian Treucherd, Armiger.
Harbottle Morley, Trib. Mil.
Ian

Ian Berkstead, Trib. Milit.
Matthijs Tomblinson, Trib.
Ian Blackstone, Armiger.
Gilbert Millingon, Armiger.
Willem Constable, Eques.
Edvvard Eudlovv, Trib. Mil.
Ian Lambert, Tribunus Mil.
Ian Hutchingson, Trib. Mil.
Arthur Hazlerig, Eques.
Michael Livesley, Eques.
Richard Salovvay, Armiger.
Humphrey Salovvay, Armig.
Robert Titchburne, Trib. M.
Ovven Roe, Trib. Militum.
Robert Mauvvaring, Trib. M.
Robert Lilburne, Trib. Milit.
Adriaen Scroope, Trib. Milit.
Richard Deane, Trib. Milit.
Ian Okey, Tribunus Militum.
Robert Overton, Trib. Milit.
Ian Harison, Trib. Militum.
Ian Desboroug, Trib Milit.
Willem Goffe, Trib. Militum.
Robert Dunckenfeild, T. Mil.
Cornelis Holland, Armiger.
Ian Karne, Armiger.
VVillem Armine, Eques.
Ian Iones, Armiger.
Miles Corbet, Armiger.
François Allen, Armiger.
Thomas Lifter, Armiger.
Benjam VVeston, Armiger.
Peregrijn Pelham, Armiger.
Ian Gourdoun Armiger.
François Throp, Accensus.
Ian Nut, Armiger.
Thom. Challoner, Armiger.
Alg. Sidney, Trib. Militum.
Ian Anlaby, Armiger.
Ian Moore, Trib. Militum.
Richard Darley, Armiger.
Willem Saye, Armiger.
Ian Aldred, Armiger.

Ian Pogge, Armiger.
Iacobus Nelthrop, Armiger.
Willem Roberts, Eques.
François Lassels, Trib. Milit.
Alexander Rixby, Trib. Mil.
Hendrick Smith, Armiger.
Edmond VVilde, Armiger.
Iacobus Chaloner, Armiger.
Iosias Barnes, Armiger.
Dennis Bond, Armiger.
Honfrey Edward, Armiger.
Gregory Clement, Armiger.
Ian Fray, Armiger.
Thomas VVogan, Armiger.
Gregory Norton, Eques.
Ian Bradshauw, Accensus.
Edward Harvey. Trib. Milit.
Ian Dove, Armiger.
Ian Ven, Tribunus Militum.
Ian Foulks, Consiliarius.
Thomas Scott, Consiliarius.
Thomas Andrews, Consiliar.
Willem Cawley, Armiger.
Abraham Burrell, Armiger.
Anthony Stapley, Trib. Mil.
Rogier Gratwick, Armiger.
Ian Downes, Armiger.
Thomas Horton, Armiger.
Thomas Hammond, Trib. M.
Joris Fenwicke, Trib. Milit.
Robert Nichols, Accensus.
Robert Reynolds, Armiger.
Ian Lisse, Armiger.
Nicolaes Love, Armiger.
Vincen Potter.
Gilbert Pickering, Eques.
Ian VVeaver, Armiger.
Ian Lenthall, Armiger.
Edward Beynton, Eques.
Ian Corbet, Armiger.
Thomas Blunt, Armiger.
Thomas Boone, Armiger.
Augustine Garland, Armig.

Auguſtine Skinner, Armiger.
Ian Dickſwel, Armiger.
Ioris Fleetwood, Trib. Milit.
Symon Maine, Armiger.
Iacobus Temple, Trib. Mil.
Pieter Temple, Trib. Milit.
Daniel Blagrave, Armiger.
Pieter Temple, Eques.
Thomas VVayte, Trib. Mil.
Ian Browne, Armiger.
Ian Lowrey, Armiger.
VVillem Allyſon, Eques.
Thomas Roth, Eques.
VVillem Maſſom, Eques.
Ian Barrington, Eques.
Thomas VVithrington, Eq.
Ehriſt VVhitchrot
Roger Hill.
Arthur Salway.
Luke Robinſon.
Bulsfrodt VVithlotke.
Ougeny Squyer.
Edward Montegn.
Libon Lony.
Thomas Rorole.
Rom, Hoy.
Eduard Propter.
Alexander.

Ian Pijne.
VVillem Caroll.

Mr. Bradshaw Iudicum præſes conſtitutus.

Advocati Iudicibus auxiliantes & conſtituti, ut accuſationem contra Regem inſtituant.
Dorislaw I. V. D.
Mr. Steele.
Mr. Aske.
Mr. Coke.

Dandy Accenſus armorum.

Mr. Philippus Iudicii Secretarius.

Nuncii & ianitores erant.
Mr. VValford.
Mr. Radley.
Mr. Paine.
Mr. Powell.
Mr. Hull.

Mr. Ring. Præco.

V.

